

12.

14

26.

L. ult. §. 1. C. de servit. & aqua
indeque desumpta

1675

110

Pa 518

JURA
VENTORUM
AUSPICE DEO,
SUB PRÆSIDIO
VIRI
NOBILISSIMI

DN. HENRICI Linckens /
D. ET PANDECT. PROF. PUBL.
NEC NON COLLEGII JURIDICI

H. T. DECANI,

*Patroni ac Præceptoris sui omni honoris & observantia
cultu aeternum devenerandi,*

IN

CELEBERRIMA ALTDORFFINA

Die. 1. Septembr.

ANNO M. DC. LXXV.

Publicæ Eruditorum censuræ submittet

ERASMUS LÖCKERUS, RATISBON.
AUCTOR ET RESPONDENS.

ALTDORFFI

Literis Johannis Henrici Schönnerstædt.



INCLUTÆ REIPUBLICÆ
RATISBONENSIS

CONSULIBUS
GRAVISSIMIS

Ac

SENATORIBUS
PRUDENTISSIMIS,
VIRIS

*MAGNIFICIS, PERSTRENUIS, NO-
BILISSIMIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTIA ET
RERUM GESTARUM GLORIA CONSPICUIS,
UT ET*

VENERABILIS CONSISTORII,
JUSTITIÆ AC PIETATIS STATORIBUS
FELICISSIMIS,

VIRIS

INTEGERRIMA SANCTIMONIÆ LAUDE
AC PRUDENTIÆ GLORIA CLARIS ÆSTIMATISQ;

*DOMINIS MECOENATIBUS ATQUE
PATRONIS MEIS SUBMISSO ANIMI CULTU ÆTERNUM
COLENDIS DEVENERANDIS Q;*

TENELLUM HUNCCE INGENII FOETUM,
DEVOTISSIMI PIGNORIS LOCO, EX ANTIQUA
VOTORUM FORMULA

DAT, DICAT, CONSECRAT
AUCTOR.



*Magnifici, Perstrenui, Nobilissimi, Amplissimi,
Consultissimi, atq; Excellentissimi Viri, Domini Patroni ac Pro-
motores reverenter suspiciendi.*

LS Virtutum Vestrarum est splendor,
ut ad tantas generosarum anima-
rum dotes pro viribus decantandas
ne Tulliana quidem Suada par esse vi-
deatur. Dum enim obsequiosum hoc obsequio-
sæ mentis pignus ad tanti throni sacraria erat
deponendum, non poteram certè aliter, quin
exsolverem id, quod à religioso cive merebatur
excogitari. Meminisse quidem debebam illius,
quod apud Ciceronem extat, non agendam im-
perito scenam coram Rosciis, jocandum coram
Crassis. Nimirum sicut de Scævolis proditum est,
eos consummatæ eruditionis gloriam suò meri-
tò usurpasse; Ita de Vobis omnibus, quibus pru-
dentia Vestra, ingenti rerum usu parta, est co-
gnita, licebit affirmare. Taceo alia, utut magna,
nunquam tamen Virtutibus Vestris paria, quo-
niam dictis de Vobis plurimis, ampliora semper

& digniora restant. Cæterum hæc potissimum ratio me movebat, cur præsens hocce donarium ad pedes Vestros humillimè deponerem, quod inusitato fermè exemplo multorum animos in admirationem & cultum Vestri raptos viderem. Accipite itaque, Ô PATRES PATRIÆ sanctissimi, publicum hoc in Academiâ Noricâ natum industriæ specimen, & me patrocínio Vestro dignum judicate. Quam gratiam si ex animi mei sententia obtinero, non minimam felicitatis partem inde me indeptum esse confitebor. Sed ne tempora Vestra, tot mortalium commodis promovendis urgendisq; nata, diutiùs suspendam, finio, ex animo vovens, ut in tristissimâ illâ imagine, quâ Germania nostra suam nunc deplorat ruinam, felicissimum omnis boni videatis complementum. Ita ex illustri Altdorffina lætabundo animo calamoq; suam declarat pietatem

*Amplissimorum Prudentissimorumq;
Nominum Vestrorum*

humillimus ac devotissimus

cultor cliensq;

ERASMUS LÖCKERUS,
RATISBON.



BENEVOLO LECTORI

S. P.

Nemo fermè in hâc rerum machinâ existet, qui ab omni sanctimonix lege tam diversam feret sententiam, ut non tremebundâ quasi mente libenter concedat, DEUM sapientissimum hujus universi creatorem conservatoremque potentissimum esse. Neque putaverim ego, ullum unquam repertum fuisse hominem, qui diffiteri ausit, eundem in omnes res creatas supremum non obtinere dominium; adeò ut etiam is, qui à consummatâ hâc felicitatis regulâ deflectere gestiat, ipsis Ethnicis pejor sit ac deterior. Unde quoque fluit, quod nulli mortalium concessum sit, contra eminentem hunc dominum vel minimam proprio jure de omnibus hisce sublunaribus sibi vindicare particulam. Quia tamen præter infinita ac innumera beneficia, quibus supremum Numen genus humanum ditavit, etiam hoc, tanquam palmarium præcipuumque occurrit, quod hominem condiderit rationalem; neque possit corpus humanum per intrinsecam suam substantiam conservari, nisi res quædam extrinsecus accedentes in consortium quasi vocentur. His namque nutritur, imò contra ea, quæ omnimodam corpori nostro minantur destructionem, munitur; Ideoque erga genus humanum eoque benignam sese exhibuit divina majestas, ut tralatitium sit, à DEO non solum omnes creaturas in usum hominum conditas,

A 3

ditas,


ditas, sed & ipsorum dominio subjectas esse. Et hinc inenarrabilem divini Numinis providentiam non obscure colligere possumus. Certè tam munificum ac beneficum providus hic director sese omnibus exhibuit hominibus, ut fabulæ etiam nomine veniat, si quis providentiam divinam in adjuvandis hominibus otiosam fuisse somniet. Ne quis verò putet, me solido probationis fundamento destitutum incedere, in Sacra Scripturæ, tanquam unici & adæquati res revelatas cognoscendi principii auctoritatem in scenam produco. Ita enim sapientissimus omnium imperiorum Monarcha ac protector *Genes. 1. vers. 28. inquit: Crescite & multiplicamini & replete terram, & subjicite eam vobis, & dominamini piscibus maris & volatilibus cali, & universis animalibus, quæ moventur supra terram.* Quod ipsum certè divini oris assertum orbis per diluvium repurgatus etiam demonstrat, sicuti *cap. 9. Genes. v. 1. & seqq.* ea de re videri meretur, sicque per immensam summi Creatoris liberalitatem Adamo & per eum omnibus ad imaginem DEI creatis hominibus, dominium, quod antea soli competebat Creatori, ita communicatum est, ut se illo quidem DEUS non abdicaret, sed superius quoddam, imò eminentius retineret dominium, à quo hominum, tanquam subordinatum aliquod dependeret. Quapropter etiam *Philo Judeus lib. de Cherubin*, hujus domini divini causa motus, jus hominum in res creatas usum fructum tantum appellat. *Conferatur Grotius l. 2. de I. B. & P. c. 12. n. 2. in pr. & Pufend. lib. 4. de jur. nat. & gent. c. 3. §. 2.* Sunt verò res mortalium dominio hoc modo subjectæ, duplicis præcipuè conditionis. Quædam enim proprietatis sive domini capaces sunt, quæ duo quasi important requisita, partim ut usum hominibus mediatè & immediatè, vel per se vel per cohærentiam cum aliis præbeant, partim etiam, ut custodiæ hominum aliquo modo obnoxia

noxia stent; *Quadam* verò *eiusdem* *receptionem* *respuunt*. Quum enim proprietas includat jus alios à re quadam arcendi, frustra proprium illud nobis asserimus, circa quod, quò minus ceteri nobis invitis de eo participant, nulla competit prohibitio. Unde provenire videmus res alterius conditionis, quales sunt istae, quae utilitatem quidem praebent hominibus, interim tamen propter amplitudinem suam inexhausti sunt usus, ut omnibus pateant, ne scilicet singulis usus ipse reddatur malignior. Quo nomine vulgò à proprietate eximunt lumen, calorem solis, aquam profluentem, aërem & similia. Ut hinc Petrarcha satis ingeniosè sequentia proponat: *Quid non commune est, quod natura optimum fecit? Sol omnibus lucet, luna innumerabilibus comitata sideribus etiam feras ducit ad pabulum: Quid a quis dici potest formosius? in publicum tamen manans usum.* Et Ovidius *Metam.* 6. ita canit:

Nec solem proprium natura, nec aëra fecit.

Sub hisce itaque inexhausti usus rebus, praecipuè sub aëre venit *ventus*, de quo singularis exhibetur disquisitio juris in *l. ult. §. 1. C. de servit. & aqua*, quam breviter primò evolvam, postea alia de vento in Jure nostro occurrentia urgebo.

Faxit DEUS, ut omnia cedant ex animi voto!



I.N.D.

UT verò constitutio illa *ex l. ult. §. 1. C. de
servitut. & aquâ* eò melius innotescat,
non frustraneam operam suscepisse puta-
bor, si ipsissima constitutionis verba, perspicui-
tate sua non destituta, in aciem nunc producam,
cujus hæc sunt lineamenta. Sequitur nunc

Constitutio ipsa.

XIV. Idem A. Johanni P.P.

Cum talis quaestio in libris Sabinianis verteretur, &c.

*1. Cum autem apertissimi juris est, fructus aridos conculcatione, que
in area fit, suam naturam & utilitatem ostendere: aliquis vicinum
suum vetabat, ita edificium extollere juxta aream suam, ut ventus
excluderetur, & paleæ ex hujusmodi obstaculis secerni à frugibus non
possent, quasi vetito vento suam vim per omnem locum inferre ex
hujusmodi edificatione, cum secundum situm regionis [&] au-
xilium venti aream accedit: Sancimus itaq; nemini licere edificare,
vel alio modo versari, ut idoneum ventum & sufficientem ad præs-
tatum opus infringat, & inutilem domino aream & fructuum in-
utilitatem faciat. Dat. 11. Cal. Novemb. Constantinop. post
Consulatum Lampadii & Orestis V. V. C. C. 531.*

PARS

PARS PRIOR

Explicationem legis proponit.

THESIS. I.

INter famosas illas decisiones, quibus antiquorum Jctorum controversias, seu, ut Tribonianus *in. §. libertinorum 3. Inst. de libertin.* loqui amat, antiqui juris altercationes placavit Justinianus, hæc nostra quoque constitutio sua radiat luce. Quare in Catalogo decisionum, partim ab *Emund. Merill.* partim etiam à *Dn. Strauchio, Jcto verè illustri, in Dissert. ad Quinquag. decis. 1. cap. 1. n. 10.* propositarum & hanc nostram offendimus legem. Nec immeritò, quia omnia decisionum *γνώσματα*, circa quæ inter Interpretes fermè convenit, & in illa inveniuntur, quamvis hic noster. §. si accuratius illum ipsum intueamur, non tam controversias Veterum Jctorum componat, quam altercationi circa quæstionem ex libris Sabinianis motæ, singularem quandam decisionem addat.

II.

Patet proinde hinc, quod primum *γνώσματα* Decisionum aliàs audit, hanc nostram legem à Justiniano, Imperatore gloriosissimo, ad Johannem P. P. emissam fuisse, quod ipsum *ex collat. leg. precedentis* constat. Tres namque numerantur Præfecti Prætorio, Demosthenes scil. Julianus & Johannes, ad quos quinquaginta decisiones directæ sunt, ut solide id docet noster *Strauch. cit. dissert. 1. c. 1. n. 18.* Justiniani vita in omnium versatur manibus, adeoque superfluum erit, plura de hac ut proponamus, ne soli meridiano faculam accendisse videamur. Brevitatis interim gratia *ad Procop. de Bell. Vandal. Paul. Diacon. in Justin. Jornand. de rebus Gothic. Zonar. Evagr. Matth. Theat. histor. Giphon.* aliosque tum Historicos tum Jctos provocamus. Johannes cognomento Dacnas, ut Agathias scribit, fuit natione Cappadox, quem artium liberalium & disciplinæ omnis rudem fuisse, adeò ut nihil nisi literas & has ipsas valde malè scribere didicerit, *Procopius l. 1. de Bell. Pers.* testatur. *Vid. Dn Strauch. d. l.*

III.

Erat autem hic Johannes Justiniano pro cæteris charus & acceptus, quamvis enim præter ruditatem, affectibus nimis deditus,

B

tan-

tantusque divitiarum captator fuerit, ut odium totius populi Constantinopolitani adversus se concitaverit; attamen propter magnam indolem & naturæ, quâ pollebat, vim excellentem, ad tantum honoris fastigium evehctus est, ut Præfecturæ scil. Prætorio præesset ac supremâ post Imperatoriam dignitatem gauderet potestate. In tantum enim Præfecti Prætorio potestas, primis temporibus admodum exigua. *l. 2. §. 19. de orig. jur. l. un. pr. de off. præfect. prator.* excreverat, ut ipsius Imperatoris vice fungeretur, ac nullius, ab ejus sententia valeret provocatio. *d. l. un. §. 1.* Atque ad hujus muneris præcellentiam refert *Jctus in d. l. §. ult.* quod à sententiis præfectorum minores ætate non ab aliis Magistratibus, sed ab ipsis solis præfectis restitui potuerint. *l. 17. de min.* Quorum autem prætoriorum præfectus fuerit Johannes, indicat rubr. *Nov. 1. quæ ita se habet: Imperator Justinianus Augustus Johanni Gloriosissimo sacrorum per orientem Prætoriorum Præfecto, iterum Exconsuli & Patricio.* In Const. N. C. F. vocatur Exquæstor palatii Consularis atque Patricius. Patricius verò non eo sensu dicitur, quod eorum Senatorum, quos Romulus creaverat, aut antiquissimæ cujusque familiæ progenies fuerit; qui propterea, quod Patres suos cire possent, hoc nomine insigniebantur. *Vellej. Paterc. lib. 5.* Sed quod Justinianus illum ipsum in numerum Consiliariorum cooptaverit. Translato namque Constantinopolin imperio, cæperunt Principes ex senatoribus, qui currulibus Magistratibus functi erant, sibi consiliarios & quasi Patres legere, quos Patricios dici placuit, quasi Patres communis reipubl. sicque Patriciatûs nomen supremi consilii esse cœpit, quod Parentum nomine Imperatores dignabantur, juxta *l. ult. C. de Consul. lib. 12. & §. 4. Inst. quib. mod. jus patr. potest solv. ibiq. Vinn. Hotom. & Frantz. Brunnem. ad d. tit. C. de Consul. Cypr. Regner. in Censur. Belg. ad cit. §. 4.* Augendi denique tituli gratia, Exconsul salutatus est, etsi nunquam antea fuerat, juxta monita *Dn. Strauch. cit. loc. n. 20.*

IV.

Alterum *πρόσιμα*, quod *nostra. l. ult. ad numerum Decisionum* pertineat, est tempus quo prodiit, scil. II. Cal. Novemb. post Consulatum Lampadii & Orestis. VV. CC. 531. Quia enim Codex prior editus fuit Id. April. anno æræ Dionysianæ. 529 Consule Cæcinnæ Mauro Decio. Ab hoc tempore Decisionum Epocha ita incipi-

cipienda erit, ut prodiisse credamus hæc Decisiones sub Consula-
tu Decii Lampadii & Orestis, ut & duobus annis post eorum Con-
sul. qui sunt annus 529. & tres sequentes, sicque totum illud spa-
tium, quo Compilatores Pandectarum confectio*n*i vacabant,
DN. Strauch. d. cap. 1. n. 2. & 4. Atque intra hoc ipsum spati-
um hæc nostra lex & quidem anno æræ Dionysianæ 531. pro-
diit. Orestis Patricii & viri Consularis meminit *Procop. de Bell.
Goth. lib. 3.* Lampadii verò etiam in vetusta quâdam inscriptione
Neopolitana mentio fit, juxta *Dn. Strauch. d. l. n. 21.* Reliqua in
subscriptione occurrentia concernunt locum, scil. Constantinopo-
lin, quam Constantinus Imperator Novam Romam, post eum ve-
rò Zonar. *ἡνῶν ῥώμην* appellavit, atque veteris & antiquæ Romæ
prærogativa Imp. sublequentes lætari voluerunt in *l. 6. C. de S. S.
Eccles. l. 4. C. de oper. pub. l. ult. C. in quibus caus. pign.* Briffon. *de V. S.
lib. 16. sub v. Romæ.* Atque ab hæc nova Roma Thracia quoque no-
vum sortita est nomen, quod Romania vel etiam Rumelia vocetur,
quia in ea nova Roma sita est, Philipp. Cluver. *lib. 4. Introd. Geo-
graph. c. 15. n. 1.* Hodiè hæc nova Roma, uti notum, Imperio Turci-
co omne decus atque dignitatem præstat.

V.

Ultimum & quidem potissimum *γνώρισμα* hujus nostræ legis,
propter quod locum in Catalogo decisionum meretur, est argu-
mentum decisorium, quod tractat. Sicut enim non aliunde certius,
quam exinde, quod controversias priscorum JCtorum decidant,
agnosci possint decisiones, juxta monitum ipsius Imper. in §. 3. *Inst.
de libertin.* Ita quoque idem in nostrâ lege occurrit. Primo enim
quæstio ex libris Sabinianis proponitur talis: Si quis pactus esset cum
vicino, ut liceret ei vel per se, vel per suos homines per agrum vici-
ni transitum facere uno tantummodo die per quinquennium, quan-
do hujusmodi servitus non utendo amittatur? Et postquam variæ
JCtorum relatæ sunt sententiæ, demum Imperator controversiam
hoc modo decidit, quod in proposita specie, si per quatuor quinquen-
nia, nec uno die, vel ipse vel homines ejus eâdem servitute usi sint, eâ
penitus amittatur viginti annorum desidiâ, adjecta ratione: *quod is,
qui in tam longo prolixoq; spatio suum jus minime consecutus sit, sera
pœnitentia ad pristinam servitutem reverti desideret.* Postmodum,
sopita hoc modo controversia, adjicit Imperator in §. 1. declaratio-
nem casus notabilioris, si area mea indigeat vento, eumque aliunde

recipere non possim, quod data mihi sit prohibitio contra vicinum, ne ædificium extollat, sicque ventum idoneum excludat. Adeoque hic noster. §. quidem nihil decidit, sed decisionis solummodò prioris consuetarium est.

VI.

Ait verò Imperator in hoc nostro textu: *Fructus aridos conculcatione, quæ in area fit, suam naturam & utilitatem ostendere*, quæ verba benè notanda veniunt. Quamvis enim Imperator in §. *cùm ex aliena 25. Inst. de rer. divis. & cum eo Cajus in l. 7. §. cum quis 7. ff. de acquir. vel amitt. domin.* intra exempla specierum, quæ ad id, quod prius fuerat, reverti non possunt, frumentum quoque excussum referat, ut exinde colligi possit, frumentum ex alienis spicis excussum pertinere ad excutientem, Cajus tamen statim subjicit, se eorum sententiam probare, qui frumentum alienis spicis excussum ejus esse non dubitant, cujus spicæ sunt, propterea, quod grana, quæ spicis continentur, perfectam suam habeant speciem, adeò ut qui excutit spicas, non novam speciem faciat, sed eam, quæ est, detegat, *d. l. 7. §. 7. in fin. Unde & Bus. ad d. l. 17. §. 7.* eleganter notat, quod §. *cùm ex aliena 25. Inst. de rer. ex hac l. 7.* supplendus & explicandus sit. Id ipsum hic Imperator noster emphaticè confirmat, dum non dicit, quod conculcatione suam naturam accipiant, sed tantummodò ostendant. Idem de leguminibus, lupino, lente, cicerè, fabis, aliisq; id genus frugibus, quæ siliqua continentur, dicendum est, exemplo frumenti. Idem etiam ad vinum ex uvis & oleum ex olivis alienis expressum extendit Bachovius, quod assertum tamen haud injustè reprobatur *Vinn. ad §. 25. Inst. de rer. divis. n. 5.* propterea, quod spicæ non sint materia, ex qua fit frumentum, sed frumentum excussum idem manet, quod ante fuit. Unde sicut eandem speciem; ita & idem retinet nomen. Vinum autem & oleum fiunt ex uvis & olivis, atq; ut in aliud nomen; ita & in aliam speciem uvis & oleis peremptis, transeunt. Plures rationes, per quas *Bachovii* impugnatam conspiciamus sententiam, apud ipsum curiosus Lector videat.

VII.

Cæterum respicit Imperator hisce verbis modum excutiendi fructus, circa quem ex antiquitate edocemur: Rerum naturam primum homines glandibus aluisse, cujus asserti autor est Plinius. Idem & *Naso* testatur 1. *Metamorph.* ita canens:

*Contentiq; orbis nullo cogente creatis,
Arbut eos fætus, montanaq; fraga legebant,
Cornaq; & in duris herentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Jovis arbore glandes.*

Postmodum frumentum, & quidem juxta Plinium & alios, à Cerere inventum est. Ita enim de ea fabulantur: Cererem primum invenisse usum frumenti, quod sorte inter alias herbas misceretur, ignotum cæteris, insimulq; docuisse homines servandi ac serendi modum, ac ob id Deam judicatam fuisse. Cereri tamen alii & Triptolemum propter frumenti sationem, Saturnum & Osirim, qui & Dionysius dicitur, adjungunt. Verùm, ut ex Eusebii atque Lactantii testimoniis constat, longè ante tempora, quàm existerent Ceres, Saturnus, Triptolemus vel alius aliquis, frumenti usus receptus fuit, præsertim apud Hebræos & Ægyptios, uti ex Josepho & sacris literis constat, quod Judæa, cum caritate annonæ laboraret, Jacob ad emendum frumentum filios in Ægyptum miserit. Ideoque cum Hebræi primò omnium terram coluerint, extra omnem controversiam credibile est, ab iis tum agrorum culturam, tum fruges excutiendi & molendi usum ad posteros translatum, atque sic aliis populis communicatum fuisse, teste Polydoro Vergilio de invent. rer. lib. 3. 1. & 2.

VIII.

Sed metendi & trituræ alia prorsus ratio Romanis, aliarumq; calidarum Regionum incolis in usu fuit, quàm nobis. Metebant ferè semper, antequam grana prorsus indurescerent, ne solis calore nimium tosta, unà cum spicis & aristis deciderent, ac ventorum turbine excussa in terram defluerent. Genera metendi complura fuerunt, ut ex Collumella & Varrone constat. E spicis in aream congestis frumentum excutiebant tribulo, quod fiebat è tabula lapidibus aut ferro asperata, quæ, imposito auriga aut pondere gravi, trahebatur jumentis junctis, ut discuteret è spica grana. Habebant quoque eundem in usum præparatum plaustrum, quod Punicum dicebant, ex asseribus dentatis cum orbiculis, in eo sedebat aliquis atque agitabat jumenta. Apud alios grex jumentorum in aream actus ibique perticis agitatus, unguis exterebat grana. Unde Poëta: *Bobusq; triturant grana*; vel etiam si spicæ tantummodò recilæ fuissent, in horreum conferebantur, & per hyemem baculis excutiebantur, Varro lib. 1. de re rust. cap. 52, Add. Guilielm. Estius in comm. ad c. 9.

vers. 9. 1. ad Corinth. ubi ad verba: *Non alligabis os bovi trituranti,* addit: Moris fuisse apud Orientales, ut & hodiè in quibusdam locis Gallicanis, boum operâ uti ad fruges pedibus triturandas. Qui verò tenaciores fuerunt, bobus illis ora obligasse, ne de frugibus, quas terebant, edere possent, quod iniustitiæ & inclementiæ cuiusdam, quam lex prohibuit, signum erat. Tritis hoc modo frumentis, è terra subjactabantur vallis aut ventilabris, cum ventus spiraret lenior, ut, quod levissimum est in eo atque acus appellatur, evannaretur foras, & frumentum, quod est ponderosum, purum veniret ad corbem, *Varro dicit. loc.* Posterior modus à nobis servatur, ideoque demessa frumenta in mergites colligata, in horrea convehuntur, ibique exteruntur baculis ac flagellis teretibus, ad eam rem idoneis, vannisque expurgantur, ut postmodum ita expolita granario inferantur, sicut ex hodiernâ rei rusticæ culturâ id omnibus constat. Eodem modo textum illum explicat *Cornel. à Lapide in comm. ad 1. Epist. ad Corinth. c. 9.*

IX.

Non sine ratione tamen Imperator in nostro textu facit mentionem aridorum fructuum, ut hunc conculcationis modum restringat, ne quis putet, eum etiam ad fructus liquidos pertinere, quorum conculcatio vento idoneo & sufficienti, ad expurgationem aliàs necessario, non indiget, sed potius torculari, prelo, vel alia ejusmodi machina ad exprimendum apta, peragitur. Sunt autem fructus aridi, qui ad invicem commixti, non confunduntur, ut sunt frumentum & hordeum, juxta *Accurs. ad Auth. ad hac. C. de usur.* vel etiam, juxta *Gothofred. in not. ad d. Auth. & l. ult. §. ult. ff. de jure fisc.* messis, quatenus scil. pro segete jam maturâ, non quidem laxius, ut etiam uvam contineat, sed propriè potius, ut solummodò fruges denotet, accipitur. *Calvin. in Lex Jurid. ad vocab. messis.* Atque hi aridi fructus liquidis opponuntur. Tales autem sunt qui confunduntur, ut vinum, mel & similia, de quibus agitur *in l. 23. C. de usur. l. 21. C. locat. & §. 27. & 28. Inst. de rerum divis.* Plura de aridis & liquidis fructibus proponit *Cop. in tract. de fruct. tit. 4. c. 12.*

X.

Locum, in quo conculcatio fructuum peragitur, aream vocat Imperator in verbis: *quæ in area fit.* Area quidem variam in jure nostro recipit significationem, hic tamen area dicitur locus, ubi frumenta teruntur & arefcunt, ut postmodum vel in granarium vel in pistri-

pistrinum deferantur. Pristinum, ut id obiter moneamus, quondam locus erat, in quo farina molebatur, nomen habens à pinfendo, h. e. contundendo, quod ante inventum molarum usum frumenta pilo comminuerentur ac tosta tunderentur. Erant itaque pila vasa concava, in quibus antiqui pinsebant frumenta siccata vel tosta in fornace; unde prodierunt fornacalia sacra, quæ ad fornacem, quæ in pistrino erat, fiebant, pro farre, quod torrebatur, ut refert *Flav. Blond. lib. 1. de Rom. Triumph.* & cum ipso *Forcat. in pen. Jur. Civil. c. 6. circa fin.* Huc respexisse quoque videtur *Virgil.* dum ingeniosè ita canit:

Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.

————— *Et Ovid. primo Fastorum.*

Triticeos fætus passuraq; farræ bis ignem.

Fornacarius quoque dicebatur is, qui huic fornaci præerat, & ignis accendendi curam habebat, ut ex *Budeo* notat *Calv. in Lex. ad voc. fornacarius.* Add. *l. si servus servum 27. §. si fornacarius. s. ff. ad L. Aquil.* Aliàs pistrinarius vocabatur. Postea mutata re mansit pistrini nomen etiam illi loco, in quo mola versatili terebatur frumentum, vel etiam machinis servorum jumentorumque operâ circumactis, cominuebatur. In eum servi, qui flagitium aliquod comiserunt, pœnæ gratia tradebantur, ut servitutis perpetuæ loco molas circumagerent, qui propterea molarum præsepia atq; Asini appellabantur, *Rosin. lib. 1. Antiq. c. 14. in paralipom.* Deniq; pistores dicti sunt non tantum, qui in pistrino farinam pinsebant, sed & qui panem conficiebant atq; coquebant. *Polydor. Vergil. lib. 3. de rer. invent. c. 2.*

XI.

Aliàs area veteribus in ipso agro fuit, ut tradit *Varro lib. 1. de re rust. cap. 51* In provinciis & quidem in loco sublimiori & undecunq; perflabili, sed longè ab hortis, vineis atque pometis, propterea ne paleæ frondibus insidentes, eas perforent atque arère compellant, *Pallad. lib. 1. de re rust. tit. 36.* Non longè tamen à villa extitit tum propter exportandi facilitatem, tum etiam ne propter domini vel procuratoris vicinitatem fraus ulla timeretur. Strata quoque fuit vel silice, vel saxo montis excisa, vel sub ipso trituræ tempore unguis pecorum & aquæ admistione solidata, clausa deinde & robustis munita cancellis, propter armenta, quæ cum terebatur, inducebantur. Fuit quoque circa eam locus alter planus & purus, in quo frumenta transfusa refrigerabantur, *Pallad. de re rustic. d. lib. 1. tit. 36.*

In Pro-

In Provinciis æstivo imbre ut plurimum carentibus aperta, in quibusdam vero, ubi sæpius exoriuntur nimbi, tecta, vel, ut *Pallad. cit. tit. 36.* expressè tradit, undecunque proximo tecto maximè in humidis regionibus circumdata fuit, ut propter imbres subitos, frumenta, si necessitas id suaserit raptim vel munda vel semitrita illuc ponerentur. Denique etiam pro re nata, ut eò solidior existeret, à lapidibus munimentum accepit, teste *Varron. d. l.* Atque ad hujus areæ similitudinem alius locus in urbe purus, i. e. non constructus, areæ nomine venit. Unde Alciatus inhærens Etymo, tradit aream propriè rusticam esse, & μεταφορικῶς tantum in urbe dici, quod redarguit *Forcat. Dial. 16. Necyomant. v. 2.* propterea, quia Jcti sæpius aream pro loco, in quo domus ædificatur, poluerunt, ut in *l. si in area 33. ff. de condit. indeb.* innuitur, quorsum etiam spectat illud Horatianum:

Ponendaq; domo quærenda est area primùm.

Unde postmodum area Jctis denotat locum, cui ædificium imponitur, it. qui depositis ædibus manet ac ædificii pars dicitur. *Paul. in l. servitutes. 20. §. si sublatum 2. ff. de servit. urb. præd. add. l. qui res 98. §. aream ff. de solut. l. 44. §. si area ff. de leg. 1. sic & in aliena area ædificare dicitur in l. 37. ff. de rei vind.* Denique etiam area appellatur locus, in quem collecta omni ex parte pluvia descendit, quam significationem *l. 2. & l. servitutes. 20. §. si servitus 3. & §. qui in area 6. de servit. urb. præd.* præsupponit.

XII.

In nostro textu area priorem significationem recipit & denotat locum in prædiis rusticis, terendis frugibus & leguminibus aptum. Unde in *l. Mela 14. §. fin. ff. de aliment. leg.* describitur, quod pertineat ad frumentam cæteraque legumina exprimenda. Add. *Rosin. lib. 1. Antiq. c. 14. circa fin. & Columell. l. 2. de re rust. c. 20.* ubi de area constituenda ita loquitur; Area quoque, si terrena erit, ut sit ad trituram satis habilis, primùm radatur, deinde confodiatur, permistisque paleis cum amurca, quæ salem non accepit, extergatur. Nam ea res à populatione murium formicarumque frumenta defendit, tum æquata paviculis vel molari lapide condensetur, & rursus subjectis paleis inculcetur, atque ita solibus siccanda relinquatur. Sunt tamen, qui potius adjacentium fabalium partem trituræ destinant, areamque demessa faba & lecta expoliunt: nam dum à pecudibus legumina proculcantur, herbæ etiam unguis atteruntur, atque

atque ita glabrescit, ut sit idonea trituris area. Denique in verbis: *suam naturam & utilitatem ostendere*, continetur finis conculcationis & trituræ, propterea enim aridi fructus trituratione exprimuntur ex spicis, ut eruti naturam suam, vim & utilitatem hominibus exhibeant.

XIII.

Pergit Imperator: *Aliquis vicinum suum vetabat ita adificium suum extollere circa aream, ut ventus excluderetur, & palea ex hujusmodi obstaculo secerni à frugibus non possent, quasi vetito vento suam vim per omnem locum inferre ex hujusmodi adificatione, cum secundum situm regionis & auxilium venti aream accedit.* In quibus verbis non tantummodò exhibetur casus, sed & simul proponuntur rationes, quæ prohibentis causæ succurrunt, quod ædificium extollens (1.) excludat ventum. (2.) efficiat, ut paleæ per hoc obstaculum secerni à frugibus non possint, sicque (3.) ex hujusmodi adificatione quasi vetito vento suam vim per omnem locum inferat, cum tamen (4.) secundum situm regionis auxilium venti aream accedat. *Ipsa quidem spica, verba sunt Columella de re rust lib. 2. c. 21. melius fustibus tunduntur, vannisq; expurgantur. At ubi paleis immista sunt frumenta, vento separantur. Atq; ad eam rem favorius habetur eximius, qui lenis aequalisq; æstivis mensibus perflat, quem tamen operiri, lenti est agricola, quia dum expectatur, sæva nos hyems deprehendit. Itaq; in area detrita frumenta sic sunt aggerenda, ut omni flatu possint excerni. At si compluribus diebus silebit aura, vannis expurgentur, ne post nimiam ventorum segnitiam vasta tempestas irritum faciat totius anni laborem. Pura deinde frumenta si in annos reconduntur, repurgari debent. Nam quanto sunt expolitiora, minus à curculionibus exeduntur, sin protinus usui destinantur, nihil attinet repoliri, satisq; est, in umbra refrigerari & ita granario inferri.* Ex his veterum in purgando frumento adhibitum artificium colligi potest, quod præcipue per ventum peractum est, ut mediante eò paleæ à frugibus secernerentur, quod ipsum etiam noster textus satis superque demonstrat.

XIV.

Nomine paleæ quid hic veniat, ex contextu sufficienter constat. Quamvis enim aliàs πολύσημον sit, ut cartilaginem quoque pendulam à collo galli gallinacei juxta Columell. lib. 6. de re rust. cap. 2. significet. Hic tamen palea folliculum granorum denotat, eamq;
C
à palam

à palàm dictam esse, tradit *Varro lib. 1. de re rust. cap. 50. in verbis: quod cum spica stramentum haret, corbis in aream defertur, ubi discedit palàm, à quo potest nominata esse palea.* Quamvis *Martin. in Lex. ad h. voc. malit*, quod palea inde dicatur, quia palàm & foris est. *Isidor.* dicit, paleam à quibusdam vocari, quod pala ventiletur, ut frumenta purgentur. Alii dicunt, Gentiles paleam à quadam Pale frugum inventrice vocasse, quam Cererem esse voluerunt. Melius cum *Scaligero* vocabulum paleæ à τὸ πάλαιν vibrare, deducit *Martin. d. l.* quod vibrando & ventilando separetur à granis. *Ludovic. Rom. in suis singular.* vult, quod appellatione fructus etiam palea veniat, per *l. 13. ff. quibus mod. usus fruct. amitt.* Verum textus hunc significatum non probat, nunquam enim de palea loquitur. Et quamvis *Baptista de Castell. in add. ad Lud. Rom.* pro defendenda istius sententia adducat hanc nostr. *l. fin. §. 1. C. de servit. & aqua.* hic tamen paleæ frugibus opponuntur, unde de hoc asserto meritò quis dubitaverit.

XV.

Ad instar hujus paleæ quædam capitula, quæ in Decretal. reperiuntur, & palea inscribuntur, denominata esse, multi opinantur. Quemadmodum enim paleæ ad grana viles sunt: sic capita illa omni pondere carere dicuntur. Hancque notam ab *Eugenio. III. Pontifice*, cui *Gratianus* compilationem suam obtulit, adscriptam esse, asserit *Gilbert. Reg. lib. 1. Concil.* quod assertum confirmat *Andr. Alciat. 12. Parerg. 3.* ex more loquendi ejus seculi vulgari, quod quasvis nullius momenti res paleas appellavit. Unde his capitibus plerisque omnis auctoritas abjudicatur, ut ex *Catell. Cott. de Jct. Hot. brut. fulm. Curt. Jun. tract. feud.* aliisque; in *amæn. jur. Can. nostri Strauchii semestr. prior. Ecl. 6. c. 9.* allegatis Doctoribus patet. Verum tam de priori, quam de posteriori lis adhuc sub iudice indecisa hæret. Quoad prius enim caput multi planè diversas denominationes proponunt, dum voculam hanc vel à παλαιός, unde παλαιά quasi antiqua, vel à πάλιν rursum, vel à nomine proprio alicujus deducunt, quam *Cardinalis Alexandrinus proæm. Decret. Procopaleam, Jason. rubr. Inst. de act. n. 12.* Quotopaleam, & Critici Gregoriani Protopaleam appellare gavisi sunt. Quoad posterius caput rectum est, quod hæ paleæ in quibusdam vetustissimis Decretalium exemplaribus non extent: unde patet, uno eodemque tempore non fuisse adjectas denominationes istas, inde tamen perperam colligitur, eas esse

esse leves & exigui momenti; Contrarium potius vel inde probatur, quod non paucæ earum à vetustioribus Gratiani compilatoribus agnoscantur, *vid. Dn. Strauch. d. l. Sic in Decret. c. 2. X. de precar. eadem prorsus habentur verba, quæ in Decreto c. de precariis. 6. C. 10. q. 2. inveniuntur, & tamen paleæ nomine insigniuntur. Unde non omnes paleas in Decreto contentas respici debere, demonstrat Dn. Zigler. ad Inst. jur. Canon. Lancelott. lib. 2. tit. 27. §. 6. Plura videre licet apud Brandmyll. in introd. jur. Can. c. 4. preliminar.*

XVI.

Cum paleis quoque hic frugum mentionem facit Imperator noster, quod verbum antecedentia restringit, ut neutiquam de fructibus in genere intelligamus. Quamvis enim fruges & fructus auctoribus Varron. de lingu. latin. & Isidoro à fruendo deducantur, usu tamen differunt, vox enim fructuum generalior est, frugum verò specialior, juxta l. 77. de V. S. ibiq. Gædd. n. 1. unde vindemia, sylvæ cæduæ, cretifodinæ, lapicidinæ, non in frugibus, sed in fructibus sunt. l. 7. §. 12. 13. & 14. ff. solut. matr. quamvis in actione pluviae arcendæ frugum appellatio porrigatur ad omnes fructus reliquos, non proprietate verbi, sed ex interpretatione, ob parem, quæ utrobique vertitur, rationem. Wissenbach ad l. 77. de V. S. thes. 8. Fruges porrò redeunt vel sine semine, vel ex semine. Illæ quæ sine semine redeunt, generis nomen retinent; hæ segetes à semine specialius vocari solent, & dividuntur in frumentum & legumina. Quare Plinius, Frugum inquit, duo sunt genera: Frumentum, ut triticum, hordeum, & legumina, ut faba, cicer, Generis nomen retinent uvæ, oleæ &c. Legumen verò est fruges sine aristis, quæ siliqua, id est, theca modò rotunda, modò cylindracia, modò etiam longissima continetur, ut sunt fabæ &c: Frumentum verò est fruges, quæ emissis aristis, quibus, quasi aculeis à morsu minorum avium defenditur, crescendo perficitur & secatur, cujusmodi est triticum, hordeum, avena &c. Et has potissimum in textu nostro respicit fruges Imperator, quia tali separatione à paleis indigent. Parum verò interfuisset, etiam si Imperator in numero singulari dixisset à fruge. Scimus quidem, quod Forcatul. in pen. Jur. c. 5. circ. initium differentiam inter frugem in singulari, & fruges in plurali hòc modò inducere velit, quod frugem in singulari dicamus pro quovis reddito; fruges verò tantum frumenta & legumina contineant. Verum nullam rationem proponit, quæ urgeat, quod singularis numeri significatio la-

tio latior esse debeat, quàm pluralis elocutio: unde & ipse Forcatul. postmodum non diffitetur, frugem in specie frumentum & legumina tantùm comprehendere. *Vid. lat. Wissenbach. d. l. 77.*

XVII.

Denique addit Imperator in fine: *Sancimus itaq; nemini licere sic edificare, vel alio modo versari, ut idoneum ventum & sufficientem ad presatum opus infringat & inutilem domino aream & fructuum inutilitatem faciat*: quibus verbis casum propositum decidit, quod nullo jure possit tolli ventus ad separandas paleas idoneus, vel quod vicinus neutiquam sic ædificare queat, ut ventum in aream vicini tendentem impediatur, hocq; modo inutilitatem fructuum domino inferat. *Cujac. ad h. text. it. ad l. 2. C. de jur. & fid. hast. fisc. ut & lib. 16. observ. 29.* notat verbum inutilitatis, quo nomine à Roberto quidem reprehenditur, defenditur tamen ab Antonio Mercatore, tum quod verbum inutile occurrat *in l. 1. §. 4. depos.* tum etiam, quod verbum inutilitatis non solùm in hoc nostro textu, sed etiam apud Ciceronem, Cassiodorum & Lucretium invenitur. Vide *Gothofr. ad nostr. text. lit. Z.* Reliqua quæ de ventis notanda sunt, in parte posteriori hujus differt. proponenda venient.

XIX.

Ex dictis jam facillimè colligere licet, quod juxta hanc Imper. nostri decisionem ventus idoneus & ad paleas à frugibus secernendas sufficiens per ædificii exaltationem areæ auferrinon debeat. Quamvis enim non minima dubitandi ratio sit, quod quilibet ex libertate naturali, quousq; velit, ædificare possit, si scil. servitutem altius ædificium tollendi alteri non debeat. *l. 8. C. de servit. & aqua. ibiq; Dn. Brunnem.* Cuilibet namque permissum est in suo ædificare ad usum suum. *l. 1. §. 11. ff. de aqua & aqua plu. arcend. Mascard. de Prob. vol. 2. Conclus. 621. n. 3.* nisi vel certa sit ædium forma, juxta. *l. 1. C. de servit* vel nisi id fiat ad æmulationem vicini. *Gail. lib. 2. observat. 69. ibiq; Grav. in Concl.* quo casu non licet ædificare cum injuria & incommodo alterius. Ut verò compendiaria procedam via, omnia ædificia ad æmulationem fieri dicuntur, quæ cum injuria alterius & animo nocendi, non utilitatis vel necessitatis gratia fiunt, quæ non profunt ædificanti, sed potius alteri nocent. Et ob hanc rationem huic malitiæ non est connivendum, sed suscepto potius peritorum consilio inquirendum, an talia ædificia toleranda sint nec ne? Sanè humanæ societatis vinculum nullo modo permittit, ut

tit, ut alteri damnum & nocumentum inferamus, sed potius ut vicino nostro emolumento simus. Hominem namque homini insidiari ex Florentini asserto, juxta *l. 3. de just. & jur. ff.* piaculum ac nefas est. Quare licet nemini ædificandi jus prohibitum sit; ita tamen ædificia extruere debemus, ut utiliter ædificemus. Quæ utilis ratio potissimum hoc respicit, ut nemini in jure suo injuriam inferamus. *Vid. l. 55. de reg. jur. Gail. d. Obs. 69. n. 17 ibiq; Grav. in Conclus. n. 4. Menoch. de A. J. 2. lib. 2. Cas. 156. n. 3. Mascard. de Probat. vol. 2. Concl. 621. n. 15.*

XIX.

Non obstante tamen hac ædificandi libertate, contrarium certè ex textu nostro patet, ubi sacratissimus Imperator Justinianus expressè sanxit, nemini licere sic ædificare, ut idoneum ventum areæ vicinæ auferat. Nonnulli quidem, inter quos etiam Johannes & Azo comparent, putant, quod textus intelligendus sit de casu, ubi constituta est servitus altiùs ædificium non tollendi. De qua hypothese formant casum. Verùm hanc sententiam refutat *Baldus ad nostr. §. ult.* duabus potissimum rationibus contra eandem insurgens, quarum I. est, quod tunc non fieret mentio situs locique. II. est, quod frustra loqueretur de moderatione idonei venti Imperator, si servitus esset constituenda. Hinc non tantummodò specialitatem quandam in hac constitutione agnoscit, sed & postmodum concludit, si area non potest habere ventum, nisi ex unâ parte, & non potest alibi fieri per dominum prædii, ipso jure prædio vicini servitutem esse impositam per legem, ne ædificando ventum impediatur. Et in hoc ipso puncto multi conveniunt Dd. Quare etiam *Dn. Brunnem. ad nostram leg.* mentem suam exponens istam sententiam ita confirmat: Si area mea ad secernendas paleas indigeat vento, eumq; aliunde recipere non possit, tamen prohiberi potes, licet servitutem nullam debeas, quò minus ædes tuas altiùs ædifices. Ratio decidendi fundata est in favore annonæ, cujus intuitu locis vicinis servitus ipso jure imposita est. Imò si ab ea parte, à qua area vento indiget, nullum sit ædificium, potest ab ea parte prohiberi alter, ne omninò ædificet. Exinde textum hunc planè singularem esse volunt Dd. quos allegat *Boër. decis. 320. n. 14.* *Pallida* quoque ex hoc casu tale format ratiocinium, quod si ad agrum meum non possem habere iter & viam, nisi per vicini agrum; Anne vicinus cogi possit, ut mihi viam per agrum vendat. Quod affirmandum esse putat, per rationem nimirum

rūm hujus constitutionis, quippe quum idem sit favor agriculturæ, limitat tamen prius assertum, nisi vicinus præbiturus viam insigniter lædatur, quam læsionem tamen, si idoneum pretium accipiat, non videmus. Sanè obviis concedimus ulnis hoc ad prædia urbana non facile esse extendendum, cum ob favorem agriculturæ placuerit. *Aug. Barb. ad h. t. de servit.*

XX.

Denique ex hoc textu sequentia colligi possunt notabilia. (1.) quod frumentum non præstet suam utilitatem, nisi ex spicis separatur. Ad quam trituram peragendam varia juxta mores regionum recepta sunt instrumenta, quibus etiam applicari possunt omnia privilegia, quæ instrumenta rustica aliàs concernunt. v.g. quod ejusmodi instrumenta, h. e. personæ & res ad agriculturam pertinentes, oppignorari non possint, *Colleg. Argentor. ad tit. quæ res pign. l. hypoth. thes. 2. n. 8.* quod etiam apud antiquos Romanos observatum fuisse, constat: Legem siquidem habuerunt, ne quis aratrum agricolarum pignori acciperet juxta *Quintilian. Quin & L. Attica* boves aratorios mactari vetitum fuisse, dicit *Ælian. lib. 5. Var. histor.* Proinde Romæ quendam in exilium ire jussum, quod bovem aratorium occidisset, testatur Plinius; Imò esum vitulinæ carnis Valentem constitutione quadam prohibuisse, demonstrat *Cujac. 4. observ. 20.* Sed hæc in pignore tantummodò procedunt, ad hypothecam verò trahi nequeunt, cessante scil. prohibitionis ratione, dum enim possessio instrumentorum penes debitorem manet, usus agriculturæ non impeditur, *l. 7. & 8. Auth. agricultores. C. quæ res pign. vel hypoth. Nov. 32. 33. & 34.* Idem de mola assertit. *Pac. in tr. de pignorib. cap. 6. n. 52.* ex autoritate juris Mosaici, *Deut. 24. vers. 6.* Quod de pignore est dictum ad executionem quoque pertinet, ut in causa judicati capi non possint instrumenta ad culturam agri & trituram pertinentia, ne quidem in subsidium, aliis bonis deficientibus, cum per hoc retardetur tributorum illatio. *l. 7. & l. 8. C. quæ res pign. oblig. poss. Choppin. de priv. rust. lib. 1. p. 1. cap. 7. Marant. de ord. jud. p. 6. tit. ult. de execut. n. 31. Hillig. ad Donell. lib. 27. c. 3. lit. P. Coll. Argentor. ad tit. de re jud. th. 95.* (2.) ventum tanquam necessarium ad triturationem requisitum areæ auferri non posse. Quod posterius membrum ansam nobis dedit, ut ventum paulò altius ex jure considerandum esse, duxerimus.

PARS

PARS POSTERIOR

Ventum juridicè considerat.

THESIS. I.

Ventum humano generi alas quasi dedisse, non sine ratione plurimi ex eruditis asserunt viri decantatissimi, interq; eos *Francisc. Bacon. Baro. de Verulam. in histor. vent. & quidem in pras.* Ejus enim pernicipibus alis instructi homines volant, non quidem per aërem, sed per ingentia visu aspectuq; horrida maria. Hinc ingens patet janua ad commerciorum sinus ritè rectèq; perveniendi, mundusq; hoc nomine tanquam janua ac patens porta omnibus incolis & accolis patet. Ventus terræ quoque, quæ gentis humanæ sedes ac receptaculum est, scoparum instar est, mundans omnia, quæ in terrenâ hâc conspiciuntur glebâ. Quinimò mare alioquin tranquillum & innoxium infamat, neque semper sine noxa aliorum, multis impedimento est maximo. Motum sine ope ac opera humana ciere solet magnum & vehementem; unde & ad navigandum & ad molendum veluti operarius conducitur; quin etiam ad plura alia adhiberi potest negotia, si humana non absit industria. Natura tamen ipsius inter secreta & abdita reponi consuevit. Hinc difficile est determinatu, unde ventus tantam sumat potentiam, quod ipsum diversas circa cognitionem ventorum produxit sententias. Philosophi quidem, Aristotele teste, unicum tantùm admittebant ventum. Theriacles apud Strabonem duos tantum. Poëtæ Græci & Latini, quatuor, quos quatuor mundi regionibus seu cardinibus annumerarunt; unde etiam Cardinales vocantur. Nomina eorum atq; regiones allegantur *ab Ovid. in Trist. lib. 1. Eleg. 2.* quando sonoros hocce fundit versiculos:

Nam modo purpureo vires capit Eurus ab ortu;

Nunc Zephyrus sero vesperemissus adest:

Nunc gelidus sicca Boreas bacchatur ab Arcto,

Nunc Notus adversa praelia fronte gerit.

Huic pulcherrimè adstipulatur Cluv. *in introduct. Geograph. lib. 1. c. 2. §. 2.* ubi ventorum nomina paulò altiore stylo ac filo adumbrat.

II.

Andronicus Cyrrestes apud Strabonem octo constituit. Plinius, Seneca, Aristoteles, duodecim agnoscunt. Græci ac Latini numerant

merant pauciores, qui quidem ad navigationem aliosque usus non adeo commodi sunt, exinde tamen hi populi parvum lenserunt damnum; Navigationes namque eorum, ut & omnium antiquorum à littoribus haud longè decedere solebant. Recentiores verò populi multò plures receperunt, sicut hæc omnia accuratè certè ex *Historia Orbis Terrarum Geographica & Civili, Francofurti ad Oderam emissa, c. 2. & Cluver. d. c. §. 3.* peti possunt; imò ut asserto huic majus fidei robur accedat, omnes fermè Naturæ atque Historiarum Secretarii fidelissimè hæc omnia inculcant. Dantur verò inter navigationem alii generales, alii statim, alii assectæ, alii verò liberi venti. Quinam verò illi sint, ut id sub operosum examen hic pluribus vocemus, non opus esse remur, contenti erimus, si in aliorum scriptis monumentisq; desiderium nostrum exlatiaverimus. Quod si verò Curiosus Lector præter hanc ipsam juridicam ventorum tractationem ulteriora desideraverit, ipsum non solummodò ad *historiam orbis terrarum Geographi- cam & Civilem, ejusq; c. 2.* sed & ad *Francis. Bacon. Baron. de Verulam. Histor. ventor. Operi ipsius philosoph. moral. Politico & histor. inser- tam* remittimus, ibi namque, cum omnibus nominibus ventorum, qualitates illorum diversas, origines locales, generationes acciden- tales, ventos extraordinarios & flatus repentinos ad nauseam usq; videbit. Nobis pro instituti ratione sufficiat, quod ventus (qui vel commotio aëris sensibilis vocatur, vel juxta alios, aër cum impe- tu veniens, quia juxta *Franc. Bacon. Baron. de Verulam.* aliud quip- piam ab aëre moto non est, sed ipse aër motus, aut per impulsio- nem simplicem, aut per immisionem vaporum) subinde in jure no- stro occurrat, quare Ventus nobis quadruplicis considerationis exta- bit causa. (I.) *Quatenus est res in exhausta qualitate.* (II.) *quate- nus ad negotia & operas humanas promovendas concurrat.* (III.) *quatenus in servitutibus spectatur, &* (IV.) *quatenus casum fortui- tum constituit.*

III.

Quoad primum membrum probè notandum est, quod ventus de jure civili ad res communes referatur ac sub aëre veniat in §. 1. *Instit. de rerum divis. & l. 2. §. 1. ff. eod.* per communes verò res hic non intellectas volumus illas, quas Moralistæ & cum illis *Hugo Gro- tius in consummatissimo illo de Jure Belli & Pacis opere l. 2. c. 2. §. 2.* constituunt; quasi omnes res ab ipsâ statim mundi infantia com- munes fuerint, sed illas potissimum, quæ natura sua in proprietatem describi

describi non potuerunt, ut proprietate quidem nullius sint, usu verò omnibus pateant, vel quæ natura ad omnium usum prodita, in nullius adhuc ditionem ac dominium pervenerunt, juxta *l. 14. pr. ff. de acquir. rer. dom. Frantz. ad §. 1. Inst. de rer. divis. n. 1. Vinn. ad d. §. n. 1. Dn. Strauch. diss. ad Instit. 6. aph. 1.* Meritò enim communionem primævam, cum *Dn. Strauchio in diss. de imper. mar. cap. 1.* planè rejicimus. Certè qui dominiorum originem ad mundi primordia non retulerit, nec gratuitam benignissimi Numinis concessionem tanquam veram introductæ proprietatis constituerit causam, is à veritatis semita quàm longissimè recedet. Ita enim nos sacræ literæ instruunt *Gen. 1. v. 28. in verbis: dominamini piscibus maris & volatilibus cæli, & universis animalibus, quæ moventur supra terram.* Hocquæ dominium postea, orbe per diluvium repurgato, *Gen. 9. v. 1.* ita confirmatum fuit: *Timor vester ac tremor sit super cuncta animalia terra & supra omnes volucres cæli cum universis, quæ moventur super terram.* Ex quibus jam elucescit, præter utendi fruendive facultatem quotidianam, etiam rerû creatarum dominium Adamo & per ipsû toti generi humano in prima creatione concessum fuisse. Quare & *Dn. Zigler. ad Grot. d. l.* asserit, vi hujus donationis divinæ Adamum dominum totius orbis terrarum factum esse, ita quidem, ut non solùm à rebus universis alios excluderet, sed & nemo alius, si quis adfuisset, jus occupandi res, nondum ab Adamo possessas, & possidendi habere potuisset, adeò ut nec liberi quidem Adami, quamdiu in familia Patris constituti fuerunt, hoc modo exclusi, quicquam de dominio eo participârint, nisi quatenus donatione, assignatione aut quacunque concessione, jure velut peculii, ut Romano more cum *Dn. Strauch. in dissert. de Imper. maris cap. 1. thes. 9.* loquamur, aliquid ad ipsos ex liberalitate paterna pervenerit.

IV.

Rejicit quidem hoc ipsum assertum Henniges, dum *in not. ad Grot. d. l.* Adamo plus, quàm occupavit, non attribuit. Hinc & neminem Adamo injuriam fecisse dicit, si ea, quæ ab ipso, tanquam nostro primo parente libertati suæ relicta sunt, occupâisset. Verùm quamvis concedamus, quod illa ad dominium acquirendum potentialis facultas hominibus indistinctè competierit, ut se potuerint dominos constituere rei à dominio actuali vacuæ, quam ubi semel sibi propriam fecere, non licuit deinde possessori eripere, qui sibi occupatio-

D

cupatio-

cupatione prælationem moralem dudum quæſiverat. Quam in rem egregiè quadrant verba *Gen. 1. vers. 28.* ſignatè poſita: *Subjicite vobis terram &c.* quæ ſane arguunt, terram dominio nondum ſubjectam, aptam tamen & habilem ea promiſſione factam, ut ſubjici hominibus poſſet, ſicut etiam concludit *Horn. de Civit. l. 2. c. 2. th. 2.* Interea non aliter, niſi mediante Adamo hominibus illa potentialis facultas data, & ab ipſo poſtmodum ad liberos ſuos translata fuit. Divina namque ſapientia humano generi per primum hunc hominem jus illud voluit conſeſſum. Non quidem negari poteſt, quod tum temporis univerſum genus humanum in hoc uno Adamo fuerit exhibitum, iſque non pro ſe tantum, ſed & pro poſteritate etiam humana illa beneficia acceperit, eò tamen nequicquam obſtante, hoc jus, in ejus perſona conſiſtens, ad poſteros non niſi per modum translationis derivandum fuit. Vid. *Bæcler. ad Grot. lib. 2. c. 2. ut & Gebhard. Theodor. Meyer. in Analyſ. Polit. Ariſt. ad cap. 3. lib. 2. th. 53.* Et hæc domini ratio uti Adamo ante diluvium conſeſſa; ita & in Noacho poſt diluvium renovata eſt. Non minus enim eo tempore DEUS in Noachum jus in res univerſi hujus contulit; Quare non ſolum poſteritati humanæ autor exiſtit, ut illa urbes conderet novas, atq; juxta divinum mandatum ſeſe in mundo multiplicaret, ſed etiam totum orbem tribus ſuis filiis, quaſi hereditatis jure diſiſum, reliquit. Egregia planè hanc in rem Eulebii ſunt verba: *Et diſiſit (Noachus) velut heres mundi à DEO conſtitutus tribus filiis ſuis univerſum mundum ſub ſortem miſſum, & unamquamq; partem juxta ſortem ſingulis diſtribuit.* Mentem Pufendorf. circa hanc materiam ex ipſius opere morali *lib. 4. c. 4. §. 4. & ſeq.* latius cognoſcere valemus.

V.

Hinc ſequitur, quando in jure Civili aër, aqua profluens, mare, & per hoc littora maris res communes dicuntur, non propterea id fieri, quaſi in communionem primæva, quæ nulla fuit, perſtiterint, ſed quod naturâ ſuâ in proprietatem non abierint. *Azo in ſumm. ad tit. Inſt. de rer. div. n. 9. Sutholt. Diſſert. ad Inſt. 4. theſ. 17.* ſicque communes ſunt quoad actum, non quoad potentiam; quia ita ſunt comparatæ, ut licet actu in bonis privatorum non ſint, eſſe tamen poſſint, aut ſecundum proprietatem uſumq; aut etiam ſecundum uſum tantum. *Frantz. ad ff. tit. de rer. div. n. 4. Add. rerum communium deſcriptio. in l. 14. pr. de acquir. rer. dom. propoſita.* Et hæc res, paulo

paulò altiùs consideratæ, sunt duplicis conditionis. Quædam enim in præsens sunt nullius, per naturam tamen proprietatis capaces sunt, eamque actu subeunt, quando occupantur. Tales fuerunt ex mente veterum Ictorum Romanorum pisces, volucres, feræ bestiæ, quas etiam in alieno fundo capere licebat, etsi dominus fundi venandi aut aucupandi causa ingredi volenti aditum prohibere possit. *l. 3. pr. & §. 1. l. 5. §. 3. ff. de acquir. rerum domin.* Et hæc, semel per occupationem propriæ factæ, iterum nullius fiebant & in libertatem abibant, quando hominum effugerant custodiam. *l. 3. §. 2. ff. eod. Christin. vol. 5. Dec. 84. n. 20. Vinn. ad §. 12. Instit. de rer. divis. n. 4.* Eòdem referebant apes, columbas, pavones, feras mansuetas, ubi aufugissent & consuetudinem revertendi deposuissent, tunc enim genitalem feritatem, quam exuerant, receperunt, & sæva feris natura rediit, ut cum Claudiano loquamur. Cæterum hoc ex circumstantiis iudex æstimet. Neque enim placet eorum sententia, qui de consuetudine revertendi ex una alterave præmissione metiuntur, quamvis id plerique faciant, *test. Vinn. ad §. 15. Inst. de rer. divis. n. 1.* Denique huc referimus quoque hodie mare & per hoc littora maris. Non illud tantum, quod interiora terrarum ingreditur, hoc enim ad populum vel Principem, cuius territorium alluit, cum suis littoribus jure imperii pertinere, forte dubitationem non habet. Communiter enim traditur, maris propinqui usum, non amplius communem, sed privatum factum esse, ut exempla de Mari Hispanorum, Lusitanorum, Gallorum, Venetorum & aliorum populorum testantur, qui jus navigandi in vicino mari ad se transtulerunt. Quare Interpretes fatentur, tempore immemoriali usum, jurisdictionem & proprietatem propinqui maris acquiri posse: It. quod is, qui habet in terra, etiam habeat in mari terram alluente dominium, in quantum sese extendit territorium prope mare, & quidem usque ad centum milliaria à littore. *Bald. lib. 4. Consil. 51. n. 2. Capoll. de S. R. P. tit. de mari. Heig. p. 2. q. ult. n. 54. ibiq. alleg. Jason. Felin. Vasq. Montan. de fin. reg. præcipue Cacheranus dec. 155. n. 2. & Bart. in tract. de Insul. c. 1. n. 1.* Sed & mare externum, sive oceanus, qui extrema terræ amplectitur. Quamvis enim Grotius ex principio primævæ communionis pro libertate maris in *Tract. de mar. lib. per tot. cap.* multis pugnet rationibus, illud verò, utrum faciat studio veritatis & serio, an verò ut popularibus solummodò inserviat, aliorum scrutinio relinquimus: Ipsi tamen

non immeritò opposuit *Selden. Mare clausum*, in quo demonstravit, quod mare hoc æque domini capax sit, ac terra, quam posteriorem sententiam latius confirmant *Dn. Strauch. in Dissert. aurea de Imper. mar. c. 2. & seqq. Dn. Struv. in Synt. jur. Feud. cap. 6. aph. 7. n. 2. Joh. Ham. à Felden in not. ad Grot. lib. 2. cap. 2.* Limitationem addit *Dn. Bechman. ad ff. tit. de acquir. ver. dom. n. 57.*

VI.

Quædam verò res prorsus incapaces sunt proprietatis; Sicque eatenus ab hominum commercio excluduntur illæ, quarum natura omnem possessionem & apprehensionem corporalem ab hominibus factam respuit, & quæ nullum admittunt actum, ex quo peculiare alicui jus præ cæteris possit enasci: unde quoque vocantur *res inexhaustæ qualitatis*, tum propter immensitatem, tum etiam propter usum, quem in commune omnibus præbent, ut à nemine occupari, nec alii ab eorum usu arceri possint. *Pufendorf. de jure Nat. & Gent. l. 4. c. 5. §. 2.* Et ad hæc res sine dubio aër & ventus, calor & lumen solis referri possunt; quod assertum tamen non ita simpliciter admittendum esse ducit *Pufendorf. in Elem. jurispr. l. 1. def. 5. §. 28.* Hinc inter alia verba talia profatur. *Cum enim hæres (scil. aër, ventus, calor & lumen solis) quemadmodum cætera ex una spaciæ parte in aliud transferri per homines nequeant, sanè etiam velut spaciæ in hærentia sub æstimationem cadere possunt, adeoque, quantum ad proprietatem, de natura spaciæ participant. Inde quem spaciæ meo excludere possum, consequenter etiam arcere queo, ne aère, vento, calore & lumine solis, in spaciæ meo existente, fruatur. Sic non inusitatum, imputare alteri clementiam aëris, commoditatem venti & solis, quæ fundus, quem ipsi loco aut vendo gaudet; it. quod per meum spaciæ in alterius aedes vento aut lumini solis iter velut relinquam, cum aliàs obstruere possem.* Consimilia fermè tradit *Zigler. in not. ad Grot. lib. 2. de J. B. in P. c. 2. §. 3.* quod scil. jure servitutis mihi constitutæ possum prohibere, ne aedes quis altius tollat, ne luminibus officiat, hocque nihil aliud esse, quam quod aërem aedibus meis conterminum, liberum mihi esse etiam extra terræ usum velim.

VII.

Verùm his nondum evincitur, quod aërem vel ventum habeam in dominio, sed tantummodò in re mea liberum, ventus tamen per se manet res inexhaustæ qualitatis, cujus domini nulla planè est utilitas. Sic is, qui alienum fundum ingreditur, venandi aut aucupandi



pandi gratia, potest à Domino, si præviderit, prohiberi. *l. 16. ff. de servit. rust. præd. ibiq; Brunnem. §. 12. Inst. de rer. divis. Capoll. de S. R. P. c. 21. n. 1.* tamen hæc prohibitio conditionem animalium non mutat, non enim acquiruntur jure soli & loci, sed simpliciter jure occupationis. *l. 14. in fin. ff. de acquir. rer. dom.* Neque dominus ut fundi, ita quoque ferarum, in illo naturalis libertatis ductu oberrantium, dominus est & possessor. *l. 3. §. 14. de acquir. vel amitt. possess.* Unde quoque contra prohibitionem ingrediens, feram bestiam occupatam suam facit, neque dominus rei vindicationem & conditionem furtivam habet, sed ingredientem sola injuriarum actione convenire potest. *l. 13. in fin. de injur. ibiq; Brunnem. Capoll. d. l. n. 2. Christin. vol. 5. Dec. 84. n. 20. & seq. Frantzk. ad. §. 12. Inst. de rer. divis. n. 6. & seq.* Quæ de bestiarum venatione in alterius loco instituta jam dicta sunt, consimili modo ad nostrum propositum applicari possunt. Data quidem est facultas domino prohibendi, ne alter ingrediatur locum, sicque efficiendi, ut ventum in illo loco liberum habeat; ventus tamen per se manet res inexhaustæ qualitatis, unde si contra prohibitionem alter ingrediatur, & aëre & vento, ut re communi utatur, dominus verò ingressu se læsum esse sentiat, actione injuriarum sibi consulere potest. *juxta. d. l. 13. ex qua Mev. p. 4. dec. 207. colligit* : Dominum posse prohibere, ne alter ipsius fundum ingrediatur, ubi prohibentis interest, secus est, ubi alteri prodest & sibi non nocet.

VIII.

Neque singulare aliquod dubium pariunt *Zigleri* objectiones, quod jure servitutis constitutæ possim prohiberi, ne ædes altius tollam, quasi lumini hæc ratione officiam. Ita enim aërem quidem ædibus meis conterminum liberum habeo, sed non in dominio. Ratio est, quia nullum jus hæc servitutis constitutione in aëre quæritur, sed impeditur saltem is, qui servitutem debet, ne altius ædificando, quod ipsi naturaliter facere licet, luminibus meis officiat. Si verò jus in aërem intermedium per servitutem acquisitum esset, illud vel per traditionem, vel per patientiam prædii servientis, quod antea jus quoddam in aërem habebat, vel etiam pacto quodam translatum esset. Nemo enim plus juris, quam ipse habet, in alium conferre potest, juxta vulgata. At nulla est ratio cur, aër ædibus meis conterminus, magis vicini mei sit, ita ut demum per pactum meus fieri debeat, quia meus est ante omnem conventionem. Nam is qui mihi servitutem luminis debet, ven-

tum aut lumen solis non concedit, sed tantummodò efficit, ut & per ipsius aream hauriam ventû, quod aliàs impedire potuisset, non quia venti habet dominium, sed tantummodò, quia ad suam utilitatem ita in suo fundo ex libertate naturali ædificare potest, ut per hoc ædificium ventus quoque per indirectum mihi vel ædibus meis auferatur. *Vid. Hennig. ad Grot. lib. 2. c. 2. §. 3.* Neque inde dominium aëris vel venti evinci potest, quod quidam dicunt, aves partem aëris esse, sicut pisces pars vel potius fructus maris perhibentur. Aves quidem in aëre volant, & occupari possunt, non autem statim sequitur, quod sicut aves ac pisces in mari occupari possunt; ita quoque aër & ventus domini sint capaces. Falsum præterea est majus enunciatum, neque unquam aves partem aëris dixerimus, sicut pisces partem aut potius fructum maris, ex hac scilicet ratione, quoniam aves & ex terra aluntur, & in eadem gignunt & gignuntur, ut hinc ad terram magis, quam aërem pertineant. Hinc aliter quoque res sese cum piscibus habet, qui in & per aquam vivunt, atque extra illam diutius durare nequeunt, & denique in eadem generantur, adeò ut eorum semina aqua, tanquam uterus solis calore animatus, coquat ac animet.

IX.

Gryphianus quidem in tract. de Insul. c. 11. n. 26. existimat, dominium aëris inde rectè asseri, quod qui vult extruere molendina pneumatica, cogatur ulum aëris redimere à principe. Ad cujus rei confirmationem sequentia adducit verba: *Necessitatem & indigentiam temporum nostrorum ut & fisci inopiam suadere, hujusmodi loca & incrementa obvenientia Regalibus annumerare, quæ olim, florente adhuc imperio Romano & abundante arario, vel nullius dominio, vel privatorum lucro relicta erant. arg. l. 1. 2. 3. & seqq. ff. de acquir. rer. dom. Quod adeò obtinet, ut ne illa quidem, quæ jure naturali cuiusvis patebant, hodie à proprietatis nexu libera sint, inde pergit: Quid communius & magis proprium humanis necessitatibus aëre, quippe sine quo ne vivere quidem possumus l. fin. C. de alim. pup. l. 2. ff. de rerum divis. Et tamen nemini licet in suo molendinum erigere sive ventosum, nisi aërem à Principe redemerit.* Sed non minus fallitur, quippe quum non redemptio aëris, sed longè alia hujus concessio nis impetrandæ ratio sit, scilicet quia molendinorum ordinata institutio ad civitatis curam pertinet, ne excedens numerus impediatur facultatem, commodè habendi & exercendi molas, & exinde respub. capiat aliquod detrimentum. Præterea molendina pneumatica in terra

terra fundamentū habent suum, adeoq; etiam illi jure accenseri possunt, *Hennig. ad Grot. de jur. bell. & pac. lib. 2 c. 2.* Consentit cum eo *Dn. Struv. in Synt. Jur. Feud. c. 6. aph. 7 n. 5. ubi eleganter tradit:* Quod molendinum pneumaticum non liceat cuivis pro lubitu secundum locorum consuetudinem extruere absq; superioris permissu, eius rationem adæquatam non esse, quod aër à Principe sit redimendus, sed quod ad reipubl. salutem videatur pertinere, singularem gerere molarum curam, & prospiciendum sit, ne pluribus extructis molendinis nemo rectè & cum commodo molam habere queat, quod nec reipubl. nec ipsis molendina extruentibus proficuum. Ex hujusmodi ratione etiam alia, quæ libertatis naturalis sunt, restringi solent, *add. th. subseq. 11.* Longe absurdus deniq; & ne responsione quidem ulla dignum est, quod *Mascardus. de probat. dominiū aëris inde asserere velit, quia suspensi in aëre pendent.* Verba ipsius, quæ *vol. 1. Concl. 403. n. 3.* de hoc dominio proponit, sequentia sunt: *Per exercitium jurisdictionis probantur fines & districtus tam in terra, quam in mari, imò in cælo & aëre; quia usq; ad cælum debet esse liberum possidendi. c. ubi periculum. de elect. lib. 6.* Et hoc modo tunc significant dominium aëris; quia suspensi pendent in aëre & ista est magna significatio meri imperii, quod consistit in quatuor: Sicut sunt quatuor elementa; in igne, ut quando quis comburitur propter maleficium; in aqua, ut quando quis ponitur in culeo, & in aquam seu in flumen projicitur. l. 1. C. de patrib. qui fil. occider. in terra, ut quando quis in terra prosternitur & capite mulctatur. l. 3. C. de episcopal. audient. cum similib.

X.

Atque ex his jam sufficienter constabit, quod ventus res inexhaustæ qualitatis permaneat, cujus usus cuilibet liber esse debet: unde fluit, quod vicinus non possit ædificare in solo suo juxta aream vicini, quæ ad tritrandum frumentum adhibetur, ut per illud ædificium usus areæ impediatur, dum ventus retinetur *juxta nostr. l. fin. §. 1. C. de serv. & aqua.* ibique *Bartol. & Bald.* quod juxta limitationem Bartoli & Baldi tum demum procedit, si area ventum aliunde non habeat, nisi ab ea parte, qua ædificatur. Adde *Capoll. in tract. de servit. c. 43. sub. fin.* Neque hoc solummodo in area, ubi fructus excutiuntur, obtinet, sed & ex analogia juris ad alias res, quarum usui ventus conducit, extendi potest. Hinc, si quis habeat molendinum ventosum, alter juxta illud nullum ædificium ponere potest,

test, ut hoc modo necessarium ventum molendino auferat, sicque prædio vicino servitus quasi ipso jure imposita est; quanquam interdum præoccupatione hæc facultas intercipi possit, si scilicet alter juxta molendinum jam habeat exstructum ædificium. *Petr. Gregor. Tholos.* quidem *lib. 4. Syn. jur. univ. c. 10. n. 7.* servitute alius non tollendi, legitimo modo acquisitam, hoc demum efficere asserit, ita scilicet ut sine jure servitutis nec areæ consideratio ulla sit, sed possit quilibet pro lubitu ædificare, etsi vicino noceat. *l. Proc. 26. de damn. infect. l. fluminum. 24. §. fin. cum l. seq. ff. eod. tit.* Unde concludit, quod servitus alius non tollendi, non tantum ratione luminum imponatur, sed etiam ratione areæ, si ventus impediatur, quò minus libere in aream influat ad purganda semina. Atque de hoc casu constitutæ servitutis alius non tollendi intelligendam esse censet *nostr. l. fin. §. 1. C. de servit. & aqua.* Quod ipsum quoque in pistrinis seu moletrinis, quæ vento agitantur, verum esse putat, dummodò vicinus ad æmulationem & injuriam ejus, qui habet molendinum exstructum, ex professo non objiciat impedimentum vento. Atque hoc assertum confirmare videtur, quod singulis liberum & naturæ jure permissum sit res suas facere meliores, etiam cum vicini incommodo, modò æmulatio absit. *l. 2. §. item Varus ff. de aq. & aq. plur. arc. Mev. p. 4. dec. 30.*

XI.

Verum Greg. hæc Tholos. præsupposita nostræ legis petunt principium. Quod enim illud concernit, quasi non constituta servitute nemo propter aream suam possit impedire alterius ædificium, per quod ventus necessarius excludatur, illud ipsum in parte anteriore hujus discursus tuisus explosum est. Singularitatem enim nostri textus, qui servitute jure ipso constituit, post *Cyn. Bartol. Bald. Johann. de Imola, Jason. Capoll. Nicol. de Milis in suo repertorio* aliosque agnoscit quoque *Boër. dec. 320. n. 14.* Et, ut de recentioribus nihil ulterius dicam, communis Doctorum schola illud docet, sicque destructo hoc principio applicatio quoque reprobanda est. Scimus equidem, quod quilibet in suo sive aliud ædificium sive molam pro lubitu ædificare possit, in tantum ut alter, qui longo tempore solus molendinum possedit, ædificationem novi in eodem tractu, propter lucrum decedens, impedire nequeat. *Capoll. de servit. rust. præd. c. 4. n. 50. & seq. Schneidew. de feud. p. 2. n. 45. & seq. Rosenthal de Feud. c. 5. concl. 28. n. 1. & concl. 29. n. 1. præcipue Mev. p. 9. dec. 72. &*

Rauch-

Rauchbar. p. 1. q. 27. n. 9. ubi asserit, neminem prohiberi, in suo novam molam extruendi, etsi non procul inde molendinum suum habeat alter. Nihilominus tamen molendino, quod prius ædificatum est, commodum naturale, quod in aqua & vento idoneo subsistit, auferri non potest. Præterea quoque distinguendum est, an ad structuram molendinorum Superioris, ut in multis locis hodiè contingit, requiratur consensus, annō? Priori quidem casu, si licitè ex concessione Superioris ædificatum sit molendinū, alter superveniens ibidem aliud extruere nequit, unde dominus prioris molendini licitè ædificantē impedire potest, ne auferatur sibi hoc lucrum, quod ex publico legitime habet. *l. 2. §. merito 10. ff. ne quid in loc. publ.* Neq; etiam tales Constitutiones, prohibentes, ne quis pro lubitu molam extruat, ratione aut favore carent, ut solide demonstrat *Mev. p. 9. dec. 72.* ubi inter alia *num. 6.* sequentia proponit: *Quemadmodum molendina ad usum & necessitatem haberi ad victum atq; annonam pertinet; at extrui & conservari magnis sumptibus nec cuiusvis manus est: ita expedie ædificantibus etiam utilitatem terræ atq; impensa sua solatium præstare. Quod ut sub promiscua structura vix fiet, dum quisq; iis lucris inhiat, evenit, ut nemo habiturus, ita facile tandem omnes illam neglecturi sunt, quod publice privatimq; noxium.* Posteriori verò casu alter quidem in suo vel pistrinum vel aliud ædificium extollere potest, ita tamen, ut commodum venti naturale priori molendino non auferat. Quare & ipse *Greg. Tholosan. d. l.* concedit, non esse permittendum, ut aliquis ad injuriam alterius impedimentum vento objiciat. *Vid. Schneidem. de Feud. p. 2. n. 50. & seq. ut & ad §. 1. Inst. de Interd. n. 55. & seq.* ubi mediante distinctione inter commodum naturale & civile, concursum scil. molentium, hanc quæstionem latius resolvit.

XII.

Extra qualitatem inexhaustam conducunt venti ad molendina pneumatica, in quibus ad molendum, veluti operarii conducti sunt, ut loquitur *Francis. Baro de Verulam in hist. vent.* ubi elegantissime demonstrat, qua ratione ventus alas molendinorum circumagat. Aliàs molendinorum tria dantur genera. Quædam enim tanquã ædificia seu domus in terra ad præterlabentem aquam aliquam ædificari solent, & communiter *Wassermühlen* appellantur, quibus annumerantur ea, quæ equis exercentur, dicta *Rosmühlen.* (2.) Quædam *πνευματικά* seu alata & à vento agitata, vul-

E

gò vo-

go vocantur Windmühlen. Quædam. (3.) navalia, seu in aquis nantantia sunt, & vulgo Schiffmühlen nominantur. Sed de his omnibus fufius agit *Hering. in tract. de molend. per tot.* cujus epitomen exhibet *DN. Fritsch in jur. fluviat. pag. m. 1221.* Add. *Finckelthuf. Disp. feud. 3. Controv. 20.* De omnibus ut dicamus, instituti nostri ratio non permittit, solummodò molendina pneumatica ad trutinam juris paululum appendemus. Sicuti autem molendina solo inædificata ad res immobiles pertinent; Ita quoque molendina vento agitata ad res immobiles referri possunt, quia molendina hæc ita inædificantur, terræque infixæ sunt, ut solo inhæreant. Stipites eorum in terra semper sunt defossi, & in primis media illa columna, quæ molam hanc sustinet, trabibus tignisvè transversis ita firmiter terræ infigitur, ut, licet pars superior ad ventum commodum circumagitetur, basis tamen & fundamentum, quod principaliter consideratur, semper in centro maneat, nec unquam moveatur. Quæ verò in solo ædificantur, ea dicuntur solo contineri, *l. cum fundus. 21. in fin. ff. de instruct. vel instrument. leg. terra teneri, adeoque fundi esse. l. fundus. 17. in princip. ff. de act. empt. vend. solo cedere. l. ideo. 7. §. cum in suo. 10. ff. de acquirendo rerum domin. ædium esse, id est, pro ædibus & immobilibus haberi, l. gr. 18. in princ. verb. ita ædium sunt. ff. de act. empt. vend.* Et illa quæ solo perpetuæ utilitatis causa inædificantur, ut non nisi corrupta & dissoluta inde transferri queant, pro rebus stabilibus sive immobilibus reputantur. *arg. l. 1. §. si jusserim. 21. ibi: eas res, quæ propter magnitudinem ponderis moveri non possunt, ut columnas &c. de acqu. possess.* Quia itaque molendinum ventilare terræ cohæret, semperque in eodem centro manet, & ad perpetuam causam, utque perpetuò emolumentum ferat, destinatum est, ideoque recte immobilibus accensetur. *Vid. Hering. de molend. q. 8. DN. Hahn. ad Wesenbec. de rer. divis. n. 4. Finckelthuf. cit. disp. 3. Controv. 20. DN. Struv. Syst. jur. Feud. 6. 6. aph. 11, n. 7.*

XIII.

Dissentiunt quidem multi, interque eos *Beust. ad l. admonendi. 31. ff. de jurejur.* *Borcholt. de feud. c. 6. n. 11.* *Jacob. Schultes. in addit. ad Rotschitz tract. de dotal. art. 25.* quos sequitur *Berlich. p. 3. Concl. 30. n. 13.* & *DN. Carpzov. p. 3. Const. 24. def. 8. n. 5.* & quidem propter *l. Titius horreum. 60 ff. de acquir. rer. domin.* ubi horreum frumentarium, quamvis vix loco moveri possit, tamen mobile

bile vocatur. Verum inter horreum istud frumentarium & molam ventilarem magna intercedit differentia. Horreum enim, de quo *d. l. 60.* agit, non est stipitibus in terram defossum, sed supra terram tantum positum, neque est immobile, sed mobile, ut ex textu apparet. Erat enim ambulans, poteratque de uno loco in alium transferri, neque perpetuo usui destinabatur, sed tumultuario opere ex tabulis ligneis conficiebatur, & vocabatur alias horreum pensile, quo de horreo agit *Columell. l. 1. de rerust. c. 6. it. Pallad. lib. 1. de re rust. tit. 19.* quia nempe ad tempus saltem pro colligendis frugibus Patresfamilias ea commoditate utebantur. Sic & templum portabile in bellica expeditione veteres circumducere solebant, quod facile expandi, & cum placeret, rursus auferri poterat. *Sozomen. lib. 1. Histor. Eccles. c. 8.* Molendinum vero ventilare terræ est infixum, ea intentione, ut ibi perpetuo maneat. Neque enim usitatum est, ut molæ hæc pneumaticæ loco moveantur, neque etiam citra fracturæ periculum possibile, quibus verbis *Rosenthal. de feud. c. 4. concl. 4. Borcholti* dissentientis rationem, quod loco moveantur, resolvit. *Add. Vultej. de feud. lib. 1. c. 5.* Plura de motu ventorum in molendinis qui desiderat, *Francisc. Baccon. Bar. de Verulam. historiam ventorum* evolvat, ibidem multa singularia inveniet.

XIV.

Præter molendinum pneumaticum usum ventorum quoque singularem in navigatione cernimus; In tantum enim, operante ventorum flatu, assurrexit industria humana, ut homines ferantur & volent, non per aërem certè, sed per maria. Quapropter de motu ventorum in velis navium *Francisc. Bac Bar. de Verulam.* post multa notabilia, sequentia proponit verba: *Potest fieri per motum istum ventorum in velis navium (si ventus fuerit a lacris & secundus) progressus in itinere 120. milliarium Italicorum intra spatium 24. horarum, idq; in navi mercatoria; sunt enim naves quadam nuncia, quæ ad officium celeritatis appositè constructæ sunt, (quas Caruvellas vocant) quæ etiam majora spatia vincere possunt. At cum venti planè contrarii sint, remedio ad iter promovendum utuntur hoc ultimo & pusillo, ut procedant lateraliter, prout ventus permittit extra viam itineris, deinde flectant se versus iter, atq; angulares istos progressus repetant, ex quo genere progressus poterunt fortasse intra 24. horas vincere milliaria. 15.* Quare utilitas navigantium quàm maximè exposcit, commodum ubivis observare

ventum, ut eò citiùs ad eum locum perveniant, ad quem aliàs seriùs, adhibito quoque nonnunquam labore immenso pertingunt, indeq; fluit, quod nauta, qui idoneum ventum in navigatione negligit, mercatori ad restitutionem damni emergentis obstrictus sit, prout hoc ipsum jus naut. Wisbuic. *art 41. alleg. à Besold. in Thesaur. Pract. sub. voc. Wind* confirmat. *Germ. Der Schiffer muß keinen guten Wind verliegen.* Aliàs ad navigationis promotionem, & ut mercia indies incrementa sumant majora, Romani non solummodò interdictum, ne quid in publico flumine ripave ejus fiat, quò pejus navigetur, quod & contra eum, qui in mari aliquid fecit, ut navigatio deterior fiat, competit, *l. 1. §. 17. ff. de flum.* Sed & actionem exercitatoriam receperunt, de qua, post *Mejer. in Coll. Argentor. ad tit. de exercit. act.* multa Commentatores Pandectarum proposuerunt.

XV.

Tertio quoque in servitutibus venti ratio habetur. Quamvis enim juxta nostram *l. ult. §. 1. C. de servit. areæ* nemo ventum idoneum intercipere possit, attamen id ipsum ad alia ædificia, ubi favor agriculturæ cessat, extendendum non est. Quare si quis vicino ad suum commodum interceptionem venti adimere velit, ut venti non intercludendi servitutum sibi acquirat, necesse est. Est autem servitus venti non intercludendi, quando impedimenta, ventum spirantem intercludentia, remorantia aut avertentia, vicinus amovere cogitur, quò in area mea ad usum meum ventum habere possim. *Althus. lib. 1. Dicaolog. cap. 22. num. 44.* ubi tamen minus rectè statuit, quod constitutio hujus servitutis etiam ad triturationem & purgationem frumenti necessaria sit. Extra servitutes porrò in considerationem veniunt venti salubres, qui serenitatem & salubritatem afferunt, aëremque siccant atque purificant. Atq; hi ipsi non incomodè per interdictum Prætorium, quod restitutorium & prohibitorium est, de cloacis purgandis & reficiendis promoventur. Ad publicam enim utilitatem pertinet cloacarum purgatio & refectio, imò ad salubritatem & tutelam civitatum *l. 1. §. 2 ff. de cloac. nam cælum pestilens, aliaque nociva minatur immundities cloacarum. d. l. 1. §. 2. & 7.* Est autem cloaca locus concavus, per quem colluvies quædam fluit. *d. l. 1. §. 4. Capoll. de serv. præd. urb. n. 1.* Et sive sit publica, sive sit privata, eadem cura adhibenda erit. Hinc quoad privatam Prætor prohibet, ne vicinus vim faciat cloacas reficienti aut purganti, vel etiam in publicum immit-
tenit. *cit. l. 1. §. 9. modo damni infecti nomine caveat, per. l. 1. pr. & seq.*

et seq. §. de cloac. De cloaca verò publica propositum est interd-
ctum, ut quod quis in cloaca publica factum sive immissum habet,
quo usus ejus deterior fit, restituat. *l. 1. §. 15. et seq. ff. de cloac. Mejer.*
in Colleg. Argentor. ad eund. tit. DN. Struv. Exerc. 45 th. 148. et 149.
Dn. Brunnem. ad d. tit. Et Capoll. d. l. q. n. 3. concludit, quod nemo
possit in domo sua exercere artem, per quam malus odor seu foetor
vicinis inferatur.

XVI.

Ex eodem salubritatis principio, ut pestilens aër vel etiam ven-
tus nocivus impediatur, sepeliebant Romani mortuos homines in
locis extra urbem privatis, ut ex *Kirchm. tract. de funer. Roman.*
& jure nostro, præcipue ex *l. 12. C. de religios. et sumt. funer.* fusiùs pa-
tet. Quamvis enim Gentiles circa demortuorum cadavera varios
repperint ritus, adeò ut nonnulli devorârint mortuos, aut suspen-
derint; alii in mare, ac sterquilinia abjecerint; canibus alii, avibus,
ferisque objecerint, cremarint, senesque de rupe præcipitârint,
teste *Johanne Gerhard. in loc. Theologic. Rubr. de morte.* Re-
ctius tamen Romani defunctorum corpora mandârunt terræ ac
sepelierunt, qualis humatio etiamnum hodie apud Christianos obti-
net. Convenit enim mos hic cum omnium religiosissimorum homi-
num placitis, & hanc ob causam etiam consuetudo hæc humanior ac
tolerabilior existimatur. Nec enim quicquam æquius & beatius est,
quam corpus humanum, anima ad auras cælestes migrante, terræ,
cui primam originem debet, miscere, quod ex divino oraculo, homi-
nem è terra fabricatum rursus in terram reverti debere, *Genes. 3. v.*
19. Dan. 12. vers. 2. promanâsse creditur.

XVII.

Competit verò religiosa hæc inspectio Episcopis ac Superio-
ribus, ut sepultura rite & in loco ad hanc rem destinato, peragatur,
ac profunditas sepulchrorum præscripta probè observetur, quæ vel
trium vel duarum ulnarum pro ratione hominis adulti vel
infantis defuncti, juxta nonnullorum locorum consuetudinem,
est, ut patet ex *Ordinat. Ecclesiast. Elector. Saxon. in art. ge-
ner. 15. §.* Nach deme sich auch an etlichen Orten begeben / daß die
todten Körper durch die unvernünfftige Thiere / da die Kirchhöffe
nicht zum besten verwahret / weil sie nicht tieff in die Erden gelegt /
ausgegraben worden: als soll jedes Orts Obrigkeit diese Verord-
nung thun / daß die Gräber auf die alten und erwachsenen Leute auß
wenigste eines Manns tieff / desgleichen auch der Kinder also gegrab-
ben

ben/ auf daß dergleichen nicht mehr zu besorgen. &c. Idem in *Decreto Synodali. de Anno 1624. repetitum* S. Ingleichen damit die Körper desto besser verwahret seyn mögen/verordne wir/daß die Gräber tieff genug / und für die alten und erwachsenen Leute zum wenigsten. 3. Ellen/ für die Kinder aber 2. Ellen tieff gemacht werden. &c. Ratio hujus sanctionis simul expressa est, ne scil. cadavera sepulta à bestiis eruantur ac devorentur; cui & rectè hanc addimus, quod interfit Reipubl. ne aër exhalationibus putridis ac noxiis, quæ ex sepulchris oriri solent, corrumpatur, & sic corpora vivorum inficientur. *Carpz. lib. 2. jurispr. Consistor. def. 373.*

XVIII.

Concludunt quoq; ex hac ipsa salubritatis causa nonnulli, quod cadavera ad mortem damnata, neutiquam in aëre vel patibulo ac rotâ relinquenda, sed terræ potius mandanda sint. Unde ardua conscientias supremorum Magistratum tangens exoritur quæstio: **Utrum corpora damnatorum ad rotam, furcam. &c. justè manent in elemento aëris & corvorum esca fiant?** Ex Curtii. *l. 3. hist. c. 2.* quidem colligitur, apud Perlas moris fuisse, ut cadavera punitorum insepulta manerent & abjicerentur, id autem non magnoperè curavit Theodorus Philosophus, cui minabatur Tyrannus mortem, & quidem insepultam: *Habes, respondit, cur tibi placeas, hemina sanguinis in tua potestate est.* Nam quod ad sepulturam pertinet, parum refert, supra terram an infra putrescam, inquit *Seneca de tranquill. anim. c. 14.* Tamen pro sepeliendis cadaveribus punitorum certant plures, inter quos etiam *Speckhan. cent. 1. quæst. jur. 9. in tot. & Synopt. Exeg. jur. Cesar. l. 48. Pand. cum aliis multis comparant*, qui propterea provocant ad insignes textus ex sacris literis depromptos. Vid. *Deut. 21. v. 22. & 23. Galat. 3. v. 13. Jer. c. 8. v. 29. & c. 10. v. 26. Matth. 27. v. 57. 58. & seqq. Hiob. 11. v. 9. add. c. Quæsitum c. 13. q. 3.* Hinc Wilhelmus Zepperus concludit, quod hac ex causa meritò improbetur illa consuetudo, quæ hodiè in Germania & alibi obtinet, ut scil. cadavera eorum, qui ob furta suspenduntur, aut alioquin rota concutiuntur, in ipso supplicii instrumento insepulta relinquuntur.

XIX.

Pro stabiliendâ hac sententia uberius facit, quod sepultura, uti inter omnes ac singulos constat, humano generi destinata sit, tam in resurrectionis genus ac symbolum, quam ut oculis vivorum par-
catur

catur, ne rei tam foedæ aspectu se contaminent, ad feritatem affue-
fiant & in ipsa mortuorû cadavera, perinde ac si hisce aspectibus gau-
derent, crudelitatem exercent, & sic ad homicidia quasi inescen-
tur homines. Prætereà triste & deforme est spectaculum, ipsum
hominis ca. aver, tot annis in cruce suspensum & aspectui prætere-
untium expositum, dedecens prorsus nobilitatem illam, dignitatem
ac excellentiam hominis, quâ præ omnibus aliis creaturis terrenis
tanquam ornamento singulari frui debet. Denique etiam, ut
Speckhan asserit, grave est, quod ne prægnantes quidem mulieres à
tam tetræ spectaculis immunes sint, cum solenne quasi sit multis in
locis, ad vias potissimum publicas corpora punitorum suspendere, ut
exempla tam monstrosa ostendantur obviis viatoribus, ac sæpissime
mulierculis gravidis.

XX.

Verum licet hæ rationes in specie quidem satis plausibiles sint;
attamen, si ultimam hujus mundi senectam adspicias, in qua homo
homini verè diabolus est, profecto per rationem status, ut reliqui
subditi eò magis deterreantur à nefandis istis criminibus, hæc o-
mnia, quæ in Germaniâ & alibi passim in vindicta legitimè exer-
cenda adhibentur ac peraguntur, facile excusari, imò defendi que-
unt. Regulariter quidem verum est, corpora humana mortua ter-
ræ esse mandanda, juxta illud:

Reddenda est terra terra:

Tum vita metenda omnibus ut fruges.

Sic jubet necessitas.

Quod si verò homines tantis vitiis inquinati existant, ut ratio Rei-
publicæ exigat, etiam post exinanitionem corpora punitorum re-
linqui sive in rota, sive in patibulo, exemplo in terrorem submini-
strato, omnino id ex jure excusari potest. Quapropter in *l. capita-*
lium 28. §. pen. de pæn. expressè dicitur, famosos latrones, in his
locis, ubi grassati sunt, turca figendos esse, ut deterreantur alii ab
iisdem facinoribus & solatio sitcognatis & affinibus interemptorum
in eodem loco pœna reddita. Hinc Vespasianus pœnæ conju-
ratorum addendum censuit, ut insepulti projicerentur, teste *Sueton.*
in Flav. Vespas. c. 2. in fin. Neque hoc, quod homo ad imaginem DEI
creatus sit, prout Zepperus tradit, aliquid evincit, quia imago DEI
non tam quoad externam ipsius faciem corpoream, sed quoad re-
spectum sanctitatis & justitiæ potius considerari debet; sicuti id ex
sacra

sacra Scriptura patet, & ex Sever. Boethii lib. de consol. Philosoph. aliquo modo potest constare. Quum itaque homo improbus & ferinam quasi vitam agens, hominem planè exuat & ejusmodi enormia crimina committat, non amplius pro homine æstimandus erit. Et, ne alii in Republica viventes ac sinceri in dete rem partem abripiantur, ejusmodi cadaverum punitorum adspectus bonis minimè displicet, quamvis malis abominabilis sit. Unde optimum bene constitutæ Reipublicæ signum perhibetur, si furcæ non stent in viduitate, ut Hippolitus de Marsiliis scribit. Denique non obest, quod Speckhan urget, interesse Reipublicæ, ne aër inficiatur, neve gravidis mulieribus prætereuntibus damnum inferatur; vanus enim hic est metus, cum non tanta sit strages eorum, de quibus ultimum sumitur supplicium, ut aër propter factorem corrumpi possit. Præterea videmus, suppliciis istis certa destinata esse loca, à quibus gravidæ mulieres vel abstinere, vel si hoc conditio locorum non permittat, ad minimum oculos avertere debent, qua de re præter alios consuli merentur Burgold. de elem. juridic. consid. & Carpz. in prax. crim. p. 3. q. 137. n. 69. & seq. Ungepauer ad Decret. de sepule. n. 6. & seqq. Consentiant Covarr. 2. Var. Resol. c. 1. n. 11. Damhoud. in Pract. rer. crim. c. 153. n. 13. Petr. Gregor. Tholosan. lib. 31. Synt. 14. n. 8.

XXI.

Considerata hætenus ventorum salubritate, leni nunc tramite discursus noster ad ventum vehementem insolitumque sese flectit, qui casum fortuitum, variis modis aliàs contingentem, constituit. Nam, ut cæteras prætereamus causas, præcipuè vitio cœli, ut loquitur l. 8. C. de loc. cond. exoritur. Hæc vitia verò contingunt vi potestatis calamitosæ. l. 15. §. 2. locat. add. l. 8. C. eod. qualis non solum est fervor non adsuetus. l. 15. §. 2. loc. nix immodica. l. 78. §. f. de contrah. empt. labes. l. 15. §. 2. l. f. loc. ibiq. Gothofred. terræ motus, incendium ex flumine ortum. l. 23. ff. de reg. jur. l. 30. §. ult. in fin. ff. locat. pluvia continua ac insolita, sed & violentia ventorum. l. 24. §. 4. de damn. infect. ad quam etiam refertur turbo, qui ab Aristotele lib. 2. Met. vocatur Prester, quo arbores, ædificia vel alia deji- ciuntur. §. cum. a. Emtio 3. Inst. de emt. vendit. Significat verò Turbo ventum vehementissimum, versatilem & se torquentem cum fragore maximo, objecta & obvia quæque deturbantem ac proster- nentem, quando, ut ait Silius Italicus insanis turbinibus fuit ven- sus, sive ut Virgil. lib. 1. Georg. Cum

— — Cum turbine nigro
Fervet hyems, culmumq; lenem stipulasq; volantes &c.

Et 2. Æneid.

— — Rupto turbine venti
confligunt.

Unde etiam prælia ventorum concurrere dicuntur, apud eundem *Virgil.* Meritò verò cum turbine violentia ventorum ad casum fortuitum refertur, quia vis venti tanta est, ut firma quoque ædificia convellat. *l. 43. ff. de damn. insect.* Exemplum præbet *Historia Jobi cap. 1.* Talem quoque ventorum vim incredibilem iratus vitiis nostris *DEUS* nobis immisit in confinio annorum *1612. & 1613.* cui similem vix quisquam meminerat aliàs extitisse, in cuius rei memoriam *DN. Ritterhus.* conscripsit Elegos, quos *Comment. Ejus ad l. 23. ff. de R. J. Protheor. c. 6.* exhibet.

XXII.

Hinc (1.) fluit, quod periculum emptoris sit, si sylva vendita, vel etiam fundus, arboribus turbine dejectis, ante traditionem longè minor aut deterior esse cœperit, cum periculum rei venditæ post emptionem celebratam ad emptorem spectet, juxta §. 3. *Inst. de empt. vendit.* Quamvis enim assertum hoc *Grotio de Jur. Bell. ac Pac. lib. 2 c. 12. §. 15.* commentum juris civilis videatur, propter regulam, quod quælibet res domino pereat. Cujus asserto ad stipulatur *Cujac. in tract. ad Afric. 8. ad l. 33. locat. Hortens. ad d. §. 3. Inst. de Emt.* Et *Hennig. ad Grot. d. l.* qui vel propterea periculum venditoris esse dicit, quod sine dubio mens contrahentium, si super hac re interrogentur, talis sit, ut contractus non prius pro perfecto habeatur, nisi annumerato pretio & translato dominio, hocque tanquam magis naturale Græcos & Hebræos secutos esse. Multò certius tamen de jur. Roman. sentit *Ludov. Molin. de F. & F. Tract. 2. disp. 366. n. 11.* Cum enim venditor speciei, perfecto contractu, solum constituatur debitor rei determinatæ ac singularis, ad eamque jus acquirat emptor pro pretio, merito & sancitum, ut si illa casu quodam deterior reddatur, aut omnino pereat, periculum sit emptoris, venditorque liberetur. *Vid. Frantzk. ad tit. de peric. & commod. rei vendit. n. 10. Dn. Hahn. ad Wesenbec. eod. tit. n. 1.* Tuendæ itaque legi Romanæ sufficit, quod ex aliis causis, quam dominio, juste statuerit, periculum & commodum ad emptorem pertinere. Quare cum hic contractus consensu perficiatur, statim quoque ejus rei pe-

F

tendæ

tendæ facultatem dato pretio habet emptor, ubi itaque non avocat rem in individuo determinatam, iniquum est. damnum esse venditoris, qui absq; mora est paratus rem tradere pretio soluto. Secus erat lege Ebræorum & Græcorum, qua hic contractus re perficiebatur, unde ante traditionem nullum plane jus emptori competit. Eleganter hæc omnia confirmat Johann. de Lugo, cujus verba huc facientia refert Hahn. *de per. & comm. rei vend. n. 1. Add. Bus. & Dn. Brunnem. ad l. 7. de per. & comm. rei vend. Perez. ad C. eod. tit. n. 3. Dn. Lauterbach. ad dict. tit. ff. de per. & comm. rei vend. th. 3.*

XXIII.

Propter ventum inopinato exortum, etiamsi alteri hoc modo damnum illatum fuerit, cessat (2.) *Lex Aquilia* ex eodem principio, quod casu non culpa damnum datum sit, qui legem Aquilianam excludit. §. 3. 4. 5. *Inst. ad L. Aquil.* ubi hoc exemplis declaratur. Quare si quis in stipulam suam vel spinam, comburendæ ejus causa ignem immiserit, & ulterius evagatus & progressus ignis alienam segetem vel vineam læserit, culpa caret, si subita vis venti longius ignem produxit, nisi die ventoso hoc fecerit. *l. 30. §. 3. ff. ad L. Aquil.* quia qui occasionem damni dat, damnum dedisse intelligitur, modo in actu illicito versetur, vel in licito quidem, sed nimis circumspectè agat, ut ex *seq. l. 31. ff. ad L. Aquil.* patet. Per occasionem verò hic causam intelligendam esse, cum *Tiraquell.* tradit *DN. Brunnem. in comment. ad. d. l.* Eodem modo si tegula à vento dejecta damnum dederit, non modò cessat *L. Aquil. l. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil.* sed & ex cautione de damno infecto agi nequit. *l. 24. §. 4. & l. 43. ff. de damn. infect.* Stipulatio enim damni infecti tum demum committitur, si ædium operisve vitio damnum contigerit. *l. 24. §. 2. & ult. l. 43. in fin. ff. eod.* non verò si casu fortuito ceciderit, v. g. violentia ventorū. Non enim ruit, quod aut vento, aut omninò aliqua vi extrinsecus admota cadit, sed quod ipsum per se concidit. *d. l. 43. DN. Struv. Ex. 39. th. 19.* Eodem modo, si ex agro vicini arbores vi tempestatis confractæ in alterius agrum decidant, eoque facto vitibus illius noceant, vel ædificia demoliant, stipulatio damni infecti non committitur, quia non arborum vitio, sed ventorum vi damnum datur. *d. l. 24. §. 9. de damn. infect. Colleg. Argentor. ad eund. tit. th. 24.*

XXIV.

Aliàs arborum vento dejectarum vel avulsarum ratio sæpius est habenda, unde de his pauca adhuc adjicienda erunt. Germanicè vocan-

vocantur, Wind-Brüche und Wind-Fälle. Unde *Wehner in observ. Pract. ad hoc. vocab.* Wind-Brüche und Wind-Fälle seynd die von Wind ausgerissene/ umgeworffene und abgebrochene Bäume und Hölzer. In jure civili de ejusmodi arboribus non cæduis, vi ventorum dejectis, hoc dispositum est, quod usufructuarius illis ad comburendum vel ad refectionem domus uti possit, quando aliunde non habet materiam ignis. Aliàs arbores vi dejectæ, proprietarii sunt, neque usufructuarius extra hos necessarios usus sibi vindicare potest, unde quoque malè facit, si easdem arbores evulsas vendere velit; potest tamen denunciare proprietario, ut vel tollat, vel pro derelicto easdem habeat. *l. 12 pr. & l. 19. §. 1 ff. de usufruct. ibiq; Brunner. n. 1. 2. & 3. Capoll. de servit. rust. præd. c. 22. n. 9.* Aliud obtinet in fideicommissi possessore, qui extra omne dubium arbores grandes & fructiferas, ventorum vi evulsas, suas facit, cum ad neminem alium, quam ad Dominum spectent, qualis est fideicommissi possessor. *per l. 42. ff. de usur. & l. 29. §. fin. ff. qui & à quibus manum.* Add. *Kripschild de fidei com. famil. nobil. c. 10. n. 94.* postquam *n. 1. & seq.* per varias demonstravit leges & rationes, quod fideicommissi possessor non tam fructuarius, quam verus rei fideicommissariæ dominus sit.

X X V.

In sylvis publicis si ejusmodi arbores inveniantur, præprimis loci consuetudo est inspicienda, ea namque si legitimè recepta est, vim legis habet, *juxta l. 32. ff. de Leg.* Unde ductu hujus consuetudinis quandoque Saltuariorum lucro cedunt. An etlichen Orten kommen sie den Förstern und Jägern zu gut; An etlichen Orten allein die/ so auf denen Scheide-Wege und Gränzen gefallen; An etlichen Orten gibt man denen Forst-Knechten ein gewisses Geld / Getreid oder Holz dafür/ tekte *Wehner. in observat. ad voc. Wind-Brüche.* Quandoque verò & quidem in multis locis subditis permittitur, ut easdem tollant, hinc ipsis per singulas septimanas certis diebus jus lignandi conceditur, quod tamen ut plurimum ita restrictum est, ne arboribus adhuc viridibus noceant, sed solummodo arbores dejectas vel vetustate collapsas, succidant. Vide die Gothauische Forst- und Wald-Ordnung *pos. 12. §. 1.* Posterior quidem consuetudo ubi recepta est absq; justâ causâ immutari nequit, ne subditis pauperculis, quorum inopiæ aliàs succurrendum est, hoc modo commodior sustentationis subtrahatur occasio. Prior verò, ut saltuariis cedant, omni re-

stringenda est modo, ne ipsis aperiatur via, ut sub prætextu arborum dejectarum sylvas devastent, quod ipsum quoque *Generosissimus DN. à Seckendorf. in aureo isto opere des teutschen Fürsten. Staats prudentissimè* annotavit, dum inter alia p. 3. c. 3. sub. rubr. Von den Forst-Bann und Wald-Nützung sequentia proposuit verba, Alles reißig/ Zagle/ Abgänge/ Wind-Fälle/ Lust-Brüche sollen den Lands-Herren berechnet / absonderlich zu Feuerholz und Kohlen verhandelt / oder das Spänlesen um ein gewisses verstatet und für kein Accidentz der Jäger oder anderer gehalten werden / It die Köhler soll man an alte / gefallene / ungesunde / wandelbare / kurze und strupige / knorrige / verdorrete Bäume / Windschläge oder Affrierschläge zur orderst antweisen.

XXVI.

Denique omnia illa, quæ de casu fortuito in jure nostro obveniunt, ad violentiam ventorum spectant, quæ tamen, ut ultimam tandem manum huic imponam materiæ, hæc vice emitto, *B. L. ad DN. Ritterhus. tract. cit. leg. 23. ff. de R. J. ejusq. c. 6. Protheor. & Sebast. Medic. tract. de cas. fortuit. remittens.* Et hæc ipsa hætenus fuere, quæ pro ingenii mei tenuitate conscribere, solenni que examini submittere placuit. Restarent adhuc alia notatu considerata; digna: ast quum temporis angustia, quâ me circumscriptum video, propositi mei metam inhibeat; Idcirco bono omine nunc finio, obnixè rogitans, ut Benevolus Lector pauca hæc à candida cordataque mente profecta, æqui bonique consulere, & si forsan errata nonnulla diligentiam nostram fefellerint, benevolè eadem corrigere non gravetur. Interea benignissimo DEO, devotissimo mentis cultu adorando, pro divina clementia concessisque hætenus viribus sempiternas ago gratias, eundemque ardentissimis imploro precibus, ut conatibus meis benedictione sua ulterius adesse dignetur, ne illos tanquam irritò ausu susceptos, doleam, sed potius eosdem intemerato flore videam excre-scentes.

T A N T U M.




I.

EN! docto mundo doctrinae lemmata pulchra
 Egregio sistis documento, *Suavis Amice.*
 Scilicet ingenuae mentis generosa virescunt
 Semina, dum penetras solerti indagine chartas.
 J pede felici, quo T E vocat ardua Virtus.
 Concino cum Musis; faveant successibus, opto!

*Cum appreciatione religiosâ felicissimorum in
 cursu juridico profectuum, hisce Affectum,
 quem Löckero suo, LL. Cult. perquam indu-
 strio debet, pollicetur*

Heinricus Sincf/D. & Præses.




II.

INstas viam, LECKERE, certò regiam,
 Quæ ducit ad Mentem Bonam, quæ sistere
 Virtutis ac Honoris Ædi Te potest.
 Hanc ergo calca, Autore Summo Numine,
 Nec Te salebra terreant. Ito pede
 Fausto, bonisq; fretus his conatibus.

Amicissimi affectus testandi causa fac.

Joh. Christophorus Wagenfeilius D. & P. P.



III.

Erfreulicher Zuruff der edlen Jugend.


Gleich war der Jugend Wunsch/von Ihm bedient zusehn/
 Als diß gelährte Blat die ersten Sylben fühlte:
 Sie sahe daß die Schrift mit schönen Lehren spielte;
 Ein jeder Aussatz trof mit solchen Himmel-Wein
 Der Geist und Leben weckt. Was Kunst und kluges Wesen
 Gelährter Arbeit heist / das fand man hier zu lesen.
 Sie freute sich und sprach: Diß Thun ist Lobens wehrt;
 Der Himmel gebe Glück! Er fördre Sein Beginnen



Und lasse Seinen Fleiß den rechten Zweck gewinnen!
Ein stattlicher Verstand hat schon den Geist verklärt.

Mit diesen wenigen Zeilen hat des Herrn Au-
tors unverdrossnen Fleiß aus Franckfurt am
Mann treumeinend beehren sollen

Hermann Christian Rafor, J. U. Ddus.



IV.

Qui doctis sat agunt sitientem tingere mentem
Artibus, & Clario pectus firmare metallo,
Aut Phæbo totos se dedere, seq; Minerva,
Atq; suas omnes operas Artesq; vovere;
Hos non pœniteat dulces gustasse liquores,
Quos dant Pieridum florifera prata Themistis.
Unde tot omniscia vigerunt Artis Atlantes,
Totq; Sacerdotes Sophia & Virtutis Achates?
Unde tot ingentes Latia Grajaq; Camæna
Venerunt Proceres, volucris quos Gloria curru
Sublatos per inane vehit, cunctisq; coruscans
Ostentat populis, Sophies quos pulvere palma
Pernici tranare jubet cava nubila nisi?
Unde alii, queis perpetua de fronde coronas
Ardenti implicitas auro, laurusq; virentes,
Famdudum seclis meditatatur fama futuris.
An Jovis hoc munus? celeris numne ille vigorem
Ingenii regit, & vario trahit undiq; flexu?
Numne ille at tonitam rapit ad sublimia mentem?
Ille Deus, solus qui cunctipotente loquela
Molem Elementorum rectas assumere formas
Fussit, & undisonum terris discludere pontum:
Cui sanctæ volucres, cui regnum ardentis Olympi:
Cui conjuratae veniunt in iussa cohortes
Ventorum: ille unus renovat sub corde latentes
Virtutis stimulos, ut discere multa queamus,
Abstrusam eliciens diâ Virtute favillam.
Hic solus præbet fausta incunabula Musis:
Solutus hic annorum senium ac obnoxia chartis


Fata



*Fata abigens, fama centena exsuscitat ora,
 Quae nostra ad seros extendant facta Nepotes.
 Hujus ope, aeternum qui promeruerit decorem,
 Promeruerit omnes: solo hoc de gurgite Virtus
 Combibit arcanos divino chrysmate rores.
 Hinc merita es palma decorandus, dulcis Amice,
 Dum sentis vigiles stimulos alimentaq; laudum,
 Quae Studiis fomenta dabunt suavissima quondam.
 Perge bonis coeptis faustum superaddere finem,
 Sic culmen majus quondam Tibi Gloria pandet.*

Egregiis Pereximii atque Doctissimi Dn. Au-
 ctoris conatibus gratificaturus, Heroico
 hoc obsignabat metro affectum sincero-
 rum

JUSTUS GERHARDUS RINCKIUS,
 HELMSTADIENSIS.




V.

Quid sit ventorum Jus non ventosa laboris
 Cura tui perhibet; pergere, Amice, tuum est.
 Fama Viros animo insignes praeclearaque gesta
 Prosequitur, toto mandat & orbe legi.

Lineolas haec
 Conterraneo suo Candido lubens ap-
 ponere voluit

Gottlieb Kraunöst.



VI.

Qui studiis vitaeq; pares & moribus olim
 Si fuimus, relego post Tua terga gradum?
 Fecit amor Themidos, cujus sacraria Tecum,
 Cujus in abstrusos mens sedet ire sinus;


Fecit

¶ (48.) ¶

*Fecit, ut & doctè Ventorum Fura resolvas;
Plaudite. Sic stimulat conscia vis animi.
Ergò etiam cerni meritò sunt digna papyro
Quæ mandas, plausus digna videre meos.
Non tamen ullus honos in Te hæc ratione redundat,
Laudibus hæc mea sunt inferiora Tuis.
Extet at ut pignus, quo Te complector amoris,
Et quadam mentis tessera parva mea.
Sume libens isthac, & me Tibi corde faventem
Sincero, illimi pectore semper ama!*

Hæc posuit amica manus Tui


Joh. El. Pfaffreutters / Ratisbon.




Aldorf, Diss., 1695

(X 261 3004)

WMA





14 26.

*de servit. & aqua
desumpta*

1675 110
R A
ORUM

CE DEO,
ÆSIDIO
IRI
LISSIMI

CI Linckens /
CT. PROF. PUBL.
LEGII JURIDICI

ECANI,
*in omni honoris & observantia
m devenerandi,*

IN
ALTDORFFINA
Septembr.

DC. LXXV.
m censuræ submittet

CKERUS, RATISBON.
RESPONDENS.

DORFFI
Henrici Schönnerstædt.

